

DE TRAGICORUM ANACHRONISMIS.



INQUIRITUR QUO MODO E TRAGICORUM SCRIPTIS AEQUALIUM GRAECORUM VITAE TAM PUBLICAE QUAM PRIVATAE NOTITIA ERUI POSSIT.

DE TRAGICORUM ANACHRONISMIS.

INQUIRITUR QUO MODO E TRAGICORUM SCRIPTIS AEQUALIUM GRAECORUM VITAE TAM PUBLICAE QUAM PRIVATAE NOTITIA ERUI POSSIT.

DISSERTATIO LITTERARIA

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

DR. E. MULDER,

in phil. nat. fac. professoris,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

IOHANNES ANDREAS STRICKER,

DORDRACENUS.

ad diem XXIII M. Martii, MDCCCLXXX, hora I.

467478
30.10.47

Amstelodami,
apud Loman, Kirberger & van Kesteren,
MDCCCLXXX.

PA
3131
S77

PARENTIBUS SACRUM.

Vir clarissime van Herwerden, carissime Promotor, cuius doctrina et benevolentia usque ad hunc diem numquam non mihi praesto erant, quae ut semper mihi adsint te enixe rogo,

Opzoomer et Brill, praeceptores doctissimi, a quibus imprimis didici quid pulchrum, quid verum sit, id tantum veram humanitatem afferre,

Wijnne et Francken, viri amplissimi, quorum scholis quidem me caruisse doleo, quorum beneficia tamen, tam magna quam multa, me accepisse gaudeo,

Viri dilectissimi, vobis omnibus grati animi pauca sed sincera et pia sufficiant vota ut, nostrae Academiae gloriam aucturi, longa et perpetua felicitate floreatis.

PRAEFATIO.

> »Haec conscripta arbitror a poetis ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem nostrae vitae quotidianae videremus."
> Cic. Rosc. Am. XVI, 47.
>
> *οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν.*
> Arist. Ran. 959.

Tempora confunduntur a poeta quum homines, facta, instituta, consuetudines memorantur et celebrantur, quum notiones et sententiae exponuntur, quae cum tempore, quod revera poeta operi suo tribuit, discrepant, quam temporum confusionem Graeca voce anachronismum dicimus.

Fabula una Aeschyli excepta, quae Persae inscribitur, poetae Graeci in tragoediis nobis servatis aetatem heroicam describunt. Unde vero illius aetatis imaginem sibi informare poterant tragici? Ex Homero sine dubio, cuius carmina etiam posteriorum fabularum nucleus fuerint. Multa quoque tragici e poetis cyclicis sumpserunt, qui tamen

ab heroicis temporibus eo magis distabant quo Homero aetate posteriores erant. At ne Homerum quidem tempora antiquissima descripsisse aliquis merito obiciat; temporis enim spatium, in quo res ab Homero relatae gestae sint, certis terminis circumscribi non posse.

Poeta igitur, cui ea tantum quae hominum sermone posteris tradita erant, serviebant, cuius ingenio poetico fortasse rari antiquiores poetae lumen praetulerant, plerumque reddebat aut quae ipse viderat aut quae eius imaginatio finxerat. Non tamen desunt unde appareat Homerum nonnumquam tempora cautius distinxisse quam a poeta illius remotissimi temporis exspectaremus. Interdum enim heroibus inauditae corporis vires tribuuntur et, ut eorum incredibilia facta auditoribus probet, poeta ipse profitetur non facile ab aequalibus suis (*οἷοι νῦν βροτοί εἰσι* [1]) talia confectum iri. Eodem pertinet quod ubi poeta ipse loquitur Corinthum eodem nomine appellat quo eius aetate vocabatur, sed heroes, poeta antiquiores, antiquius huius urbis nomen Ephyram usurpant; eodem quoque modo explicandum est cur tubae usum [2]) et equitandi morem [3]) sciens Homerus tamen numquam heroes tuba canentes aut equo vehentes aut ex equo pugnantes repraesentet. Quae pauca tamen pro utriusque carminis longitudine et argumenti varietate opini-

---

[1]) Lehrs, *Arist. Stud. Hom.* pag. 237, cf. Schol. Il. VI, 152, XIII 301.
[2]) Il. XVIII, 219.
[3]) Od. V, 371. cf. Schol. Cod. Venet. ad Il. XV, 679.

onem Homerum aevum suum plerumque depinxisse evertere non possunt.

Antiquioribus igitur fontibus deficientibus cum apud Graecos tum apud nostros Homerus non antiquissimorum temporum sed heroicae tamen aetatis auctor et pictor existimatur.

Multum vero abest ut tragici, licet cultiore aetate floruerint, Homerique carmina manibus triverint, exemplum ab immortali poeta epico editum semper secuti sint, sed modo de industria, modo se tempora confundere nescientes hac in re peccare solent.

Saepius enim antiquitatis studio parum dediti tragici inscii et imprudentes se anachronismo obstringunt. Homeri carminibus poetae et philosophi magnopere quidem delectabantur, sed ut ex iis antiquitatis doctrinam haurirent tragicis eorumque aequalibus ne in mentem quidem veniebat.

Hinc tragici non considerantes quantilla terrae pars Homero innotuerit, quamque exiguum illis antiquissimis temporibus inter varios populos commercium fuerit, orbem terrarum et diversos populos depingebant pro geographiae et ethnographiae notitia, quam ipsi habebant. Haec eadem valent de institutis politicis, de deorum cultu et religionis ritu, de artium omnisque hominum culturae progressibus. Antiquitatis scientia in id quoque nobis prodest ut fabulas antiquiores ab iis quae recentiore aetate fictae sint, seiungere possimus.

Dedita opera tempora confudisse existimo poetas quotiescumque in tragoediis invenimus quae e poetarum potius quam e personarum mente dicta sunt. Praeterea philosophorum posterioris aevi dogmata et poetarum sententias celebratas, quae per omnium ora ferebantur et proverbii locum obtinuerant, dramatis personarum orationi saepe consulto admiscent tragici. Indoles ingeniumque cum singulorum heroum tum hominum antiquiorum generis tragicos nonnumquam fefellerunt, eorum characterem saltem non diligenter imitati sunt poetae. Ubi vero notiones ethicae in tragoediis pugnant cum heroica aetate, distinguendum est utrum poeta suo tempori suisque aequalibus convenienter loquatur an sua ipsius placita auditoribus explanare conetur. Quid tragici de fato, de vita post mortem et de multis aliis eius modi generis argumentis senserint, certe operae pretium est ut viri docti perscrutentur sed licet tales lucubrationes accuratiorem ipsorum poetarum nobis afferant notitiam, quae de gravissimis iis rebus maior pars aequalium cogitaverit eiusmodi studiis haudquaquam explanantur.

Porro nonnulla instituta politica aut religiosa, nonnumquam etiam templa aliave monumenta memorantur, quorum origo cum fabulae argumento aliquatenus coniungitur, quod plerumque vaticinio, in fabulae exitu edito, fieri solet. Etiam haec inter anachronismos computo, nam nemo negabit domesticas populorum narrationes originem suam ducere solere a locis, monumentis aliisque reliquiis incertae originis. Sic

apud Graecos mythico tempore posteriora monumenta poetis novae fabulae argumentum saepenumero dederunt. Huc quoque pertinet omnibus populis communis mos multa, quorum origo aut initia ignota sint, ad summam antiquitatem referendi.

Materies, proprie a posteriora aetate aliena, ita interdum a poetis tractata et conformata est, ut imaginem quamdam exprimerent eorum quae, quo tempore fabula agebatur, maxime spectatoribus cordi essent aut ut tecte hominem omnibus notum significarent. Quae temporum translatio nobis utilissima esset ad tempus, quo fabula docta sit, constituendum si scrutantes eo possemus pervenire ut certi aliquid decerni posset et contra huius modi anachronismi vestigia facilius indagaremus si de anno, quo haec illave fabula acta sit satis constaret. Hinc viri doctissimi iam diu in talia inquirere coeperunt, interdum prosperrimo utentes eventu, saepius in meris coniecturis versantes.

Quorum omnium exemplis allatis me satis plane ostendere posse puto quam multa et quanta e tragicis discere possimus, quae ad ipsorum aetatem pertineant. Interdum, iustum huic libello modum facturus, capita rerum tantum attingam et saepius res paucis absolvam ubi certis argumentis anachronismus demonstrari non potest. Ad hoc enim opus esset et heroicae et posterioris aetatis subtilissima notitia quam nonnumquam fontibus deficientibus nancisci nemo potest; deinde, quum ipsum temporis spatium

inter illa antiquissima tempora et tragicorum aetatem nobis minus cognitum sit, certi fines inter utramque aetatem raro constitui possunt. Attamen quo magis anachronismos eruimus eo magis alios, qui non amplius demonstrari possint, nos latere verisimile esse existimo.

CAPUT I.

DE RE MILITARI.

Ut de plurimis moribus institutisque dubitare nobis licet, utrum heroica aetate in usu fuerint necne, ita omnia certe quae ad rem militarem pertineant, Homerum copiose tractasse nemo negabit. Quare si tragici operam dedissent ut remotae antiquitatis colorem tragoediis suis inducerent hoc profecto in bellis proeliisque describendis non difficile fuisset. Nihilomimus consuetudines Homeri bellatoribus propriae raro ab iis memorantur.

In exercitibus apud tragicos occurrunt *ὁπλῖται* [1]), *πελτασταί* [2]), qui *γυμνοί* [3]) aut *γυμνῆτες* [4]) quoque dicuntur et equites [5]). Illi sub aliis nominibus apud Homerum pugnant, hi prorsus desunt, quod critici Alexandrini iam ob-

---

1) Phoen. 1096, 1190, Andr. 760, Heracl. 699, 729.
2) Bacch. 781. — 3) Heracl. 724. — 4) Phoen. 1147, Rhes. 31, 313.
5) Eur. Suppl. 660, 680.

servarunt [1]). Inter posterioris aetatis militum armaturam memoratur πέλτη [2]), saepius Thracia parma [3]) dicta, cuius formae descriptionem apud Scholiasten Euripideum [4]) invenies ex Aristotelis Θεσσαλῶν πολιτείᾳ depromptam. Praeterea milites gestant μεσάγκυλα, [5]) ita dicta quia amentum, Homero quoque ignotum, mediae hastae aptatum erat. Alibi hastile abiegnum commemoratur, ὀξύα [6]) ex qua arbore hastas fieri solitas ostendit Pollux [7]); fraxinea contra hastilia sunt apud Homerum. Clipeus memoratur cum insignibus mobilibus; equae enim ibi saltant, callide circumactae verticulis manubrio adhaerentibus. Aeneis tintinnabulis clipeum audimus terribile clangentem apud Euripidem [8]) cui in tali descriptione praeiverat Aeschylus [9]). Aliud posterioris aetatis inventum sunt κεγχρώματα [10]), foramina in scutorum circumferentia per quae hostium impetus specularentur.

Milites non in tuguriis (κλισίαις) degunt ante Troiam sed, ut recentiores, in tabernaculis (σκηναῖς [11]).

Sagittarii saepissime memorantur apud Homerum; ex uno

---

[1]) Schol. ad Il. XV, 679, Cod. Venet. κέλητα αὐτὸς μὲν οἶδε (sc. Ὅμηρος) χρωμένους δὲ τοὺς ἥρωας οὐ συνίστησιν.

[2]) Rhes. 305, 487. — [3]) Alc. 489, Rhes. 311. —

[4]) Schol. Vat. ad Rhes. 311. —

[5]) Heracl. 727. cf. Theoph. Hist. Plant. III, 6. V, 5. —

[6]) Poll. V, 20. — [7]) Phoen. 1125 sqq. — [8]) Rhes. 384 sq. —

[9]) Sept. 386. — [10]) Phoen. 1386 cf. Schol. h.l.

[11]) Rhes. 45, I, A. 12, Soph. Aiac. init.

tantum loco [1]), ubi fortis Diomedes Paridem alloquitur

τοξότα, λωβητήρ, κέραι ἀγλαέ, παρθενοπῖπα

fieri potest ut explicanda sit contemptus origo in quem sagittarii posterioribus praesertim temporibus venerunt imprimis apud Lacedaemonios [2]).

Locum [3]) quam maxime a fabulae argumento alienum sed ex historia explicandum legimus in Hercule furenti ubi multis disputatur de sagittariorum praestantia, gravisque armaturae incommodis. Quae quum aperte singulari aliquo consilio ab Euripide, sub Amphitryonis persona, dicta videantur non inepta coniectura [4]) est poetam his verbis sagittariorum usum aequalibus suis commendare voluisse, quia in pugna Deliensi Hippocrates, Atheniensium dux, levi armatura domum dimissa, a Thebanis nuper profligatus erat [5]). Fix [6]) tamen qui alias ob causas fabulam commissam credit anno 420, Euripidem h.l. cives suos adhortatum fuisse putat ut e barbaris regionibus longinquis arcesserent, qui sagittariorum officia

---

[1]) Il. XI, 385. Obscurum verbum Il. IV, 242. *ἰόμωροι* h.l. omitto quod cum voce *ἰός* cohaerere non credo.

[2]) Ai. 1120. Plut. Apophth. Lac. pag. 874; Paus. I, 23. 4.

[3]) Herc. Fur. 188 sqq. Obiter memoro vs. 199 *οὐτάζειν* contra Homericum usum dictum de sagittis vulnera infligente. Lehrs. *Ar. Stud. Hom.* pag. 78.

[4]) Cf. Hartung, *Euripides restitutus* II, 19 sqq.

[5]) Thuc. V, 90, 94. Ol. LXXXIX. 1.

[6]) Fix *Chronologia fab. Eur. XI.*

praestarent [1]). Simul autem gravis armaturae commodis obtrectans Lacedaemonios perstringit semper cominus pugnantes [2]).

Militum duces audiunt λοχαγοί [3]) ant λοχαγέται [4]) exercitusque agmina λόχοι [5]). Apud Homerum, quum aciem struendi ars paene nulla fuisse videatur, verba τάττειν [6]) et τάξις [7]) desunt. Tragici heroes contra aciem instruere perdidicerunt: dextrum [8]) et sinistrum [9]) cornu distinguunt et explicant [10]). Ut matrum precibus satisfaciat filiorumque cadavera Theseus Thebanis eripiat proelium committitur, in qua pugna ordinata, quam pluribus verbis nuntius exponit [11]), omnia disciplinae bellicae praecepta ita servantur ut potius Thucydideam vel Xenophonteam proelii descriptionem legere nobis videamur quam ferox et saevum certamen quale Homerus in tali re nobis depingere solet.

Ante proelium hostia mactatur [12]), extispicium non negligitur [13]), tessera militibus datur [14]), dei alicuius nomen [15]),

---

[1]) Thuc. VIII, 98. — [2]) Cf. Schol. ad. Ar. Pac. 443.

[3]) Ant. 141, Troad. 1260, Phoen. 122, 132. — [4]) Phoen. 1093, passim.

[5]) Sept. 66, 460, Phoen. 742. (Apud. Hom. Od. XX, 49 semel hac. significatione occurit.) — [6]) Sept. 265, Heracl. 676.

[7]) Phoen. 701. Rhes. 664, Bacch. 303. — [8]) Rhes. 485, Heracl. 671.

[9]) Eur. Suppl. 704. — [10]) Heracl. 801: κατὰ στόμα ἐκτείνειν.

[11]) Eur. Suppl. 650 sqq.

[12]) Herc. Fur. 673, Suppl. 155, Or. 1636, cf. Herodt. IX, 61, Xen. Rep. Lac. XIII, 8. — [13]) Rhes. 30, Andr. 414, Ion. 419, Heracl. 340, 399.

[14]) σύνθημα, Rhes. 684; σύμβολον, Rhes. 12, 688, Phoen. 1140.

[15]) Rhes. 573, cf. Xen. Anab. I, 8.

et postquam hostiis perlitatum [1]) est p a e a n canentibus, quod Graecum institutum [2]) est, t u b a signum datur [3])

Nihil horum apud Homerum invenimus et quod ad tubam [4]), saepe Tyrrhenicam [5]) dictam, attinet iam scholiastae [6]) hunc anachronismum notaverunt, quorum verba citare operae pretium est: *μετὰ τὰ Τρωικὰ καὶ τὴν εἰςγῆν Ῥωμαίαν Αἰνείου κατοίκησιν Τυῤῥηνοὶ τὴν σάλπιγγα ἐφεῦρον ἐν τοῖς Ἰταλικοῖς πολέμοις ὅθεν καὶ Τυῤῥηνὶς ἡ σάλπιγξ ἐκλήθη.* De qua re alter testis est eodem loco *οἱ Ἕλληνες ἐπὶ τοῦ Τρωικοῦ πολέμου οὐκ ἐχρῶντο ταύτῃ. Ὅμηρος γοῦν αὐτὸς μὲν οἶδε τὴν σάλπιγγα* (sc. Σ 219), *οὐ ποιεῖ δὲ χρωμένους σάλπιγγι τοὺς ἥρωας. π ρ ῶ τ ο ς δ ὲ Ἀ ρ χ ώ ν δ α ς σ υ μ μ α χ ῶ ν τ ο ῖ ς Ἡ ρ α κ λ ε ί δ α ι ς ἤ γ α γ ε ν ε ἰ ς Ἕ λ λ η ν α ς τ ὴ ν Τ υ ρ σ η ν ι κ ὴ ν σ ά λ π ι γ γ α.*

In ipso proelio non imperatores sed milites maximi momenti sunt, si Euripidem audimus, qui disertis verbis Graecis persuadere conatur ne nimiam victoriae gloriam ducibus solis tribuant posthabitis militibus gregariis [7]), quae sententia revera parum cum heroica aetate quadrat, quum unius saepe viri robur victoriam decerneret et in singulorum certaminibus omnium salus esset posita.

---

1) *τὰ σφάγια καλά* Sept. 379. — 2) Sept. 286 sqq.
3) Heracl. 830: *ἐσήμηνε.*
4) Phoen. 1102, Troad. 267, Rhes. 44, Sept. 394.
5) Eum. 567, Ai. 17, Med. 1342, 1359, Rhes. 988, Heracl. 832.
6) Schol. ad. Phoen. 1377. — 7) Andr. 696.

Victoria reportata tropaeum erigitur [1]), nonnumquam addita inscriptione [2]) spolia templis affixa legimus [3]).

Victis belli tributum annuum imponitur [4]), aut coguntur ut liberos suos obsides tradant victoribus [5]).

Quum nemo Graecorum apud Homerum, semel facto belli initio, Troianis scientibus, urbem intret nec fides publica hosti data reperiatur, apud Euripidem Polynices interposita pactione (*ὑπόσπονδος*) Thebas venit [6]). Orestis vero verba dicentis numquam se in gratiam rediturum cum Aegistho (*ἀσπόνδοισι γὰρ νόμοισιν ἔχθραν τῷδε συμβεβλήκαμεν* [7]) formulae apud posteriores auctores usitatae (*πόλεμος ἄσπονδος*) admonent.

Captivum in fabulis tragicorum interficere nefas habetur. Eurystheus [8]) quum in proelio non interfectus sit ab hostibus „nunc si trucider" inquit „ex Graecorum more non sine piaculo percussori meo morior; civitas me vivum dimisit sapienter, numen divinum longe pluris faciens quam inimicitiam adversus me." Talem propemodum orationem a Plataeensibus habitam legimus apud Thucydidem [9]), quam quidem clementiam ut non semper a Graecis exercitatam esse, ita tamen antiquissima aetate heroibus ne in mentem quidem venisse existimo. Quin Agamemnon iuvenem armis abiec-

---

[1]) Sept. 276, Phoen. 1251, 1473, Heracl. 786, Andr. 763, Suppl. 647
[2]) Eur. El. 7, 1000. — [3]) Ag. 577, Sept. 278, Phoen. 575.
[4]) Rhes. 435. — [5]) Rhes. 434, cf. Or. 1189. — [6]) Phoen. 273.
[7]) El. 905, cf. Ag. 1208, Alc. 426. — [8]) Heracl. 1010 sqq. cf. 966.
[9]) Thuc. III, 58.

tis vitam deprecantem atrociter hasta transfigit[1]) et quotiescumque heroes Homerici captivis parcunt id faciunt non misericordia sed lucri studio ducti, sperantes fore ut eos pretio redimant propinqui [2]), quod nisi fit servi in remotas terras veneunt [3]).

Posterioris aetatis morem ut laudatione funebri in acie caesi honorentur Euripides heroicae aetati tribuit in Supplicum fabula, quod Dionysius [4]) merito vituperat, observans orationes funebres ab heroibus habitas neminem tradidisse praeter tragicos Athenienses. Quantum vero hoc loco [5]) poeta suum ipsius tempus respiciat ex ipsis laudibus apparet. Non enim illae sunt laudes fortibus bellatoribus sed democraticae civitatis sociis dignissimae. Dives Capaneus insolentia carebat, modestus et sobrius ut vir pauper, fidelis in amicos, cives et servos. Pauper erat Eteocles sed donis invictum animum gerens. Parthenopoeus natione Arcas sed Argis educatus maxime laudatur quod in officiis inquilino praestandis numquam cessaverit. Tydeus acer sophista erat non in verbis sed in armis et multorum strategematum peritus. His aliisque laudibus Adrastus finem imponit vere Socraticum: „bona educatio", inquit, „affert pudorem; virtutis exercitatio ignaviam expellit, fortitudo vero disci potest; quae quis a puero didicit servat ad senectutem. Bene igitur instituite liberos [6])"!

---

[1]) Il. VI, 46. — [2]) Il. X, 378. XI, 131.
[3]) Il. XXI, 454. XXII, 45. — [4]) Dion. Hal. A. R. V, 17.
[5]) Eur. Suppl. 857, sqq. — [6]) id. 911, sqq.

In Iliade exercitus saepius convenit sed ducibus tantum dicendi fit potestas; apud Euripidem tamen totus exercitus [1]) Menelao Helenam dat interficiendam. Hecubae nuntiatur Graecorum exercitui visum esse [2]) Polyxenam mactare quod consilium Ulixes *γνώμην στρατοῦ ψῆφόν τε τὴν κρανθεῖσαν* [3]) esse affirmat.

Pugnae navales Homerica aetate prorsus ignotae erant; nihilominus naves aeneis rostris armatae [4]) Troiam cursum dirigunt. Alibi *ἐπωτίδες* [5]) occurrunt, ligna ex navium proris utrimque prominentia, quibus impetum aut inferrent aut illatum defenderent. Triremibus heroes non utuntur; Aeschylus [6]) igitur inferioris remi et Euripides [7]) primi transtri mentionem faciunt sui ipsorum temporis navium memores. Artis vocabulum est *χωρεῖν πρύμναν*, de navi retro cedente adversa fronte, quod ex pugnae navalis arte depromptum esse Scholiasten [8]) non fefellit, qui eam dictionem cum Thucydidea illa *πρύμναν κρούεσθαι* de navibus se recipientibus comparat. Navium *ἄκρα κόρυμβα* aut *ἄφλαστα* quidem apud Homerum memorantur, nusquam tamen aplustrium ornamenta, quae ut iam illo tempore adfuerint certo non ita artificiosa fuerunt ut aurata signa Nereïdum, dacronis, aut tauri figuras referrent [9]).

---

[1]) Troad. 780, 901. — [2]) Hec. 220. — [3]) Hec. 218. — [4]) I. A. 1319. [5]) I. T. 1350, cf. Schol. ad. Thuc. VII, 34. *ἐπωτίδες εἰσὶ τὰ ἑτέρωθεν τῆς πρῴρας ἐξέχοντα ξύλα.* Etym. M. pag. 369, 23, pag. 811, 23. [6]) Ag. 1617. — [7]) Ion. 595. — [8]) Schol. ad Andr. 1120. — [9]) I. A. 239, sqq.

CAPUT II.

DE LUDIS ET FESTIS.

Antiquissimis iam temporibus apud Graecos multum valebant ludi illi et exercitationes, corporis animique fortitudinem alentes, quibus Graeci gloriantur. Sexcenties tragici hos ludos memorant et magna inde pars metaphorarum quibus utuntur petita est. Iam vero Homerus ad vivum nobis depinxit tales ludos largiter et splendide editos ab Achille in defuncti Patroclis honorem. Illi ludi igitur non ad propositum meum pertinerent nisi persuasum mihi esset tragicos saepe respexisse ludos Olympiacos aliosque statis temporibus editos, quorum omnes [1]) Graeci participes esse poterant, quos communes ludos ad historicam aetatem pertinere nemo negabit. Nonnullos locos collegi qui sententiam illustrare et tueri possint.

Hippolytus sperat fore ut in Graecorum certaminibus [2]) primum praemium auferat Hercules furens se in

---

[1]) Alc. 1026. — [2]) Hipp. 1016.

Isthmiis [1]) victorem renuntiatum esse credit. Orestem misere periisse ludis Pythiis [2]) falsus nuntius fingit. Musica quidem Delphis certamina ad remotissima tempora pertinere videntur sed ludi equestres demum facti sunt Olympiadis XLVII, anno secundo, post debellatos Cirrhaeos [3]). Hoc in ceteroquin splendidissima certaminis descriptione facile agnoscas poetam Atheniensem, qui civibus suis haud ingrate aurigam Atheniensem, prudentem et peritum, facit victorem [4]). Duo Libyes, Barcaei [5]) certaminis quoque participes sunt, quamquam Cyrenaica Barce, cuius urbis et regionis incolae currus regendi et equitandi peritissimi fuerunt, multis annis post, teste Herodoto [6]), condita est.

Olympiae spatium aurigis cursu conficiendum stadium vel sex plethra aequabat, unde curriculum cuiusvis longitudinis *στάδιον* [7]) appellatur et certamen *ἔκπλεθρος ἀγών* [8]) dici poterat. Quum ad metam pervenissent cursores vel aurigae flectentes rursum recurrere debebant ad carceres, unde cursum inierant, quam ob rem *δίαυλος* hic duplex cursus appellabatur. Hanc tamen consuetudinem non ante Ol. XV, in usum venisse Pausanias [9]) nobis auctor est; quae res tamen tragicis impedimento non est quominus sive proprio sensu [10]) sive metaphorico [11]) huius rei mentionem faciant.

---

[1]) Herc. Fur. 958 sqq. — [2]) Soph. El. 680. — [3]) Paus. X. 7. 4.
[4]) El. 731 sqq. — [5]) El. 702, 727. — [6])Her. IV, 160. — [7]) Herc. Fur. 883.
[8]) Eur. El. 883, Med 1181. — [9]) Paus. V, 8. 3.
[10]) Eur. El. 825, Soph. El. 681. — [11]) Ag. 444, Herc. Fur. 1102, Hec. 29, Eur. fragm. 435.

Ludorum praesides, sortibus ductis, locum aurigis assignantes et victoribus praemia decernentes, βραβεῖς [1]) nominantur eorumque munus βραβεία [2]). In quinquertio tandem victum qui excipit ἔφεδρος [3]) dicitur.

Polyxenam mactatam Argivi frondibus consternunt, quo eodem honore favorem suum, qui Olympiae certamina spectabant, victoribus testari solebant. Scholiastes [4]) Euripideus Eratosthenis verba, quae φυλλοβολίας morem explicant, laudans, ipse addit: ταῦτα οὖν περὶ τοὺς χρόνους Εὐριπίδου.

Graeci, a pueris in palaestris exercitati et virili aetate corporis exercitationes in gymnasiis non intermittentes, haec certamina in deliciis habebant. Heroica tamen aetate nondum γυμνάσια [5]) aut παλαίστρας [6]) iam exstitisse puto. Quod igitur Polynices dicit, lacrimas sibi obortas esse post longum tempus revisenti tecta et aras deorum γυμνάσιά θ', οἷσιν ἐνετράφην [7]), heroica posteriorem aetatem redolet. At nimis his studiis Euripidis aequales nonnumquam indulgebant, quod poeta improbat, athletas vehementissime perstringens [8]), graviterque cursores obiurgans [9]). Athletarum obesitatem despicit Euripides, quo iudice ventri dediti sunt, in bello inutiles et honoribus quibus fruuntur, prorsus indigni.

[1]) Soph. El. 709, cf. Ag. 230, Or. 1650, 1056, Hel. 703.
[2]) Phoen. 450. — [3]) Ai. 610, Phoen. 1095.
[4]) Schol. ad. Hec. 574. cf. Eur. fragm. 284, vs. 24.
[5]) Troad. 834, Hel. 308, Hipp. 229. — [6]) Eur. El. 528.
[7]) Phoen. 368. — [8]) Fragm. 284. — [9]) Eur. El. 862 sqq.

Adduci vix possum ut credam, quod veterum quidam [1]) blaterant, poetam, ineunte aetate oraculum quoddam male interpretatum, inter athletas certavisse. Quantum enim excolendi animi studium corporis curae praeposuerit Antiopae fragmenta docent [2]).

Fuerunt multi Graecis dies festi et memoriales, quorum celebratio, posteriore aetate orta, tamen a tragicis memoratur aut cum mythico argumento coniungitur.

Panathenaeorum, splendidissimi festi, quod gymnico musicoque certamine celebrabatur, non immemor est chorus [3]) in Heraclidis, qui Minervam cantico supplicans, deam admonet honorum sacrificorumque, pro quibus opem auxiliumque supplicantibus debeat. Hoc festo peplum Minervae deferre solebant matronae et virgines nobilissimae in quo potissimum res, a Iovis filia in certamine contra Gigantes gestas, ipsam autem haud raro currui insidentem, acu pingebant, qua in re se dominas mox adiuturas esse augurantur capitivae si forte Athenas deducerentur [4]).

Eaedem feminae Delum, quae insula neque ad fabulam neque ad fabulae personas pertinet, insignibus laudibus extollunt [5]). Iam vero Athenienses, insula expiata Olympiadis LXXXVIII anno tertio, sacra Deliaca ludosque

---

[1]) Cf. *Βίος* et Aul. Gell. XV, 20. — [2]) Fragm. 183, sqq.
[3]) Heracl. 777. — [4]) Hec. 466 sqq. — [5]) id. 455 sqq.

gymnicos et musicos restituerant [1]. Quorum sacrorum commemoratio iterum, modestius quidem, illata est in Herculem furentem [2], et disertis verbis in Iphigeniam in Tauris [3], ubi virgines Graecae, ab hostibus in barbaras regiones divenditae et patriam desiderant et Deliam Dianam, choris, canticis, curruum certaminibus celebrari solitam. Delii autem aestate anni 422 ab Atheniensibus ex sedibus suis eiecti per exiguum tempus patria caruerunt; aestate enim insequenti Athenienses, Apollinis oraculo impulsi [4], eos domum redire passi sunt. Ingeniosa igitur est Hartungi [5] opinio hanc fabulam in scenam commissam esse hieme inter utramque aestatem interposita, quum poeta hoc carmine exules in civium suorum benignitatem et misericordiam commendare videatur.

Fabulas nonnumquam fictas esse ut usuum consuetudinumque originem, revera ignotam, illustrarent supra iam monui, quae res praesertim valet in festorum commemoratione. Anthesteriorum festi secundus dies *Χόες* apellabatur, quia in mensa publica singulis convivis vas, quod congium continebat, apponebatur. Oresti enim, materno sanguine polluto, Athenienses contagionem veriti, mensam hospitalem quidem sed solitariam praebuerant. Quam rem sorori suae

---

[1] Thucd. III, 104. — [2] Herc. fur. 687 sqq. — [3] I.T. 1089.
[4] Cf. I.T. 1234 sqq. — [5] *Eur. restit.* II, 141.

pluribus verbis narrans [1]) Orestes addit se audisse Atheniensibus suas calamitates festi instituendi causam fuisse et adhuc morem manere ut congiarium Palladis populus in honore habeat.

Ludorum, quibus lampades gestantes cursu certabant, institutio probabiliter in Prometheae trilogiae Aeschyleae fine memorabatur; taediferorum legum idem poeta mentionem facit in Agamemnone [2]).

„Multum te poetae canent," verba sunt chori Euripides [3]) Alcestem voluntaria morte perituram posteritatis memoria consolantis, „lyricis et epicis carminibus tuas laudes ad astra tollent Spartae quoties Carneus mensis redit, nec minus Athenis splendidis, beatis." Carnea tamen demum inde ab Ol. XXVI musicis quoque certaminibus celebrata fuisse constat. [4])

Helenae comites ei invident, quae postquam domum redierit se choreis mixtura sit in festis Hyacinthi, quem solemnem sacrorum diem Apollinis iussu terra Laconica celebrare solet. [5]) Alio huius fabulae loco [6]) Gemini, dei ipsi, sorori suae eam post mortem deam vocatum iri promittunt, una secum xenia ab hominibus accepturam et Helenam revera Therapnis cultam esse novimus. [7]) Dioscurorum cultus,

---

[1]) I. T. 947 sqq. — [2]) Ag. 312. — [3]) Alc. 448 sqq.
[4]) Cf. C. O. Müller *Dorier* I, 355, II 320, Wachsmuth, *Hell. Alterth.* II, 2, p. 257. — [5]) Hel. 1470. — [6]) id. 1666 sqq.
[7]) Herodt. VI, 61.

cuius nomen ξενισμός [1]) cum Euripidis verbo ξένια congruit, certe antiquissimae traditioni repugnat, quum Homerus de Dioscuris inter deos consecratis sileat. Apud Euripidem vero Dioscuros inter astra relatos [2]) nautis in fluctibus periclitantibus, maris aestu sedato, salutares [3]), ab Iove deos factos [4]), in coelo degentes audimus [5]). Homerus contra eos mortuos et in Lacedaemonia sepultos esse affirmat [6]). Utramque fabulam, artis criticae magis quam poeseos ratione adhibita, Euripides memorat [7]). Helenae enim de fratribus Teucrum percontanti hic respondit: „Mortui sunt et non mortui; duplex enim est fama siquidem aut astris dicunt illatos esse deosque factos, aut sua sibi manu ob sororem mortem conscivisse.

Fuerunt apud Graecos collegia, quorum socii singulis mensibus certa die festa agerent ἐπιμήνια dicta. Nonnumquam instituta erant in defuncti cuiusdam honorem ut ab Epicureis [8]), qui vicesimum diem Gamelionis, quo gregis dux vita excesserat, recordabantur. Talia festa, dis averruncis sacrata, ob caedem Agamemnonis feliciter patratam a Clytaemnestra, instituta „epularum Agamemnonis" nomine invenimus apud Sophoclem [9]). Iam vero Argivorum chronologi Agamemnonis diem funestum Gamelionis ter-

---

[1]) Cf. Schol. ad Pind. Ol. III, 41. — [2]) Hel. 140.
[3]) El. 994, Or. 1636, Hel. 1504. — [4]) Hel. 1659.
[5]) I. A. 768, Hel. 1499. — [6]) Il. III, 244. — [7]) Hel. 138 sqq.
[8]) De εἰκαδιστῶν collegio vide Ath. VII, 298. — [9]) El. 280 sqq.

tium decimum fuisse scriptis mandarunt. Fortasse Sophoclea aetate Argis revera hic dies, caede regis apud posteros memoriam adeptus, celebrabatur festo cui nomen *δαὶς Ἀγαμέμνονος* erat; nam hunc diem apud posteriores proverbio increbuisse veteres nobis tradunt. [1])

Post sacra et certamina publica memorata restat mihi ut pauca de festis privatis addam. Libenter concesserim non omnia quae hic allaturus sim, poetarum tantum temporibus propria esse, attamen saepissime haec illave descriptio aut nonnulla verba nobis ipsorum potius aetatem quam remotiorem spectare videntur.

In Ione [2]) symposion describitur: post coenam minister ex hydriis aquam manibus convivarum superfundit, tibicines introducuntur, cratera communis miscetur, parvis poculis non sufficientibus maiora adferuntur [3]), Iovi sospitatori libant [4]). Quod revera *συμπόσιον* dicere possimus in Homeri carminibus non invenimus; Euripidem contra h.l. imaginem vitae quotidianae sui temporis expressisse nemo facile infitiabitur praesertim, ubi locos posteriorum auctorum inspexerit, quos ad versus laudatos vir clarissimus van Herwerden, in editione sua, laudavit.

In lascivis Bacchanalibus virgines stupratae [5]), in Diony-

---

[1]) Eustath. Od. pag. 1507. 62. — [2]) Ion. 1170—1196.

[3]) Cf. Diog. Laert. 103. Plato Symp. pag. 213. Aesch. fr. 52.

[4]) De tertia libatione in Iovis sospitatoris honorem cf. Ag. 245, 1386 sqq. Eum. 759, Suppl. 27. — [5]) Ion 550.

siis aut Cerealibus feminarum vigiliae (*παννυχίδες* [1]), Herculis [2]) aliorumque comissationis frequens commemoratio [3]) in tragoediis inveniuntur. Porro memorantur varia festa sub recentioribus nominibus ut initia (*τελετή* [4]), sacri chori (*θίασοι* [5]), omnium civium coetus (*πανηγυρίδες* [6]) fortasse etiam spectacula [7]) et in festo publico ob felicem quemcumque eventum coronarum gestatio (*στεφανοφορία* [8]) et sacrificatio. Haec omnia non heroum simplices mores sed potius lautam hilaremque aequalium Atheniensium vitam redolent.

Morem coronas e floribus nexas gestandi apud posteriores Graecos saepissime et ubivis occurrere nemo ignorat, cuius rei tamen Homerus mentionem non facit. Semel apud eum *στέφανος πολέμοιο* [9]) invenimus de bello undique exorto. Epitheton dearum *ἐυστέφανος* [10]) derivandum est a voce *στεφάνη* diademate, quo mundo muliebri ornata etiam nunc Dianae, Veneris, Cererisque signa exstant. Porro apud Homerum *στεφάνη* significat cuiusque rei fastigium vel circuitum et verba *στεφανόω* et *στέφω*, circumdare, cingere,

---

[1]) Soph. El. 92, Ant. 153, Troad. 1073. — [2]) Alc. 804.
[3]) Phoen. 791, Eur. Suppl. 390, Ag. 1189 et passim.
[4]) I. T. 959. — [5]) I. T. 1146.
[6]) Sept. 202, Ag. 819. Herc. Fur. 1283. — [7]) O. R. 1489.
[8]) Alc. 1155, quem Atheniensium morem describit. Demosthenes c. Midiam pag. 530 § 51. cf. Arist. Av. 1230, Eq. 1331.
[9]) Il. XIII, 736. — [10]) Il. XVIII, 597, Il. XXI, 510, Od. VIII, 267 cet.

plurimis locis occurrunt sed de coronis floreis poeta silet. Quae omnia valent de Hesiodi quoque carminibus, ne duobus illis locis quidem exceptis ubi Horae [1]) et Minerva [2]) Pandorae coronas nectunt eiusque capiti imponunt; Goettlingium [3]) enim inspiciens, virum doctum multas tamen ob alias causas, hunc versum expungere, illum posterioris aetatis auctori tribuere video, quare hi versus sententiam meam affirmant potius quam infirmant et liberius perhibere audeo morem coronas gestandi ad posteriorem aetatem pertinentem, Homeri Hesiodique aequalibus aut prorsus ignotum aut certe non ita in deliciis fuisse ut posteris. Homerus imprimis, qui tanta diligentia omnia, vel minima et levissima depingit, cur numquam huius rei mentionem fecisset si tum iam in usu fuisset? nemo quidem negabit eum sexcenties coronarum memorandarum habuisse opportunitatem. Quam observationem, quamquam apud neminem sive veterum sive recentiorum inveni, probare tamen mihi videtur omnium gentium historia, quae nos doceat florum cultum et usum semper accrescere una cum luxu effusiore, cui sententiae nostra quoque tempora argumento esse possint.

Tragicos autem hac in re sui temporis mori congruentes demonstrabimus. Epulis coronae decorae sunt [4]), Hercules

---

[1]) Hes. Op. 75. — [2]) id. Theog. 576.
[3]) C. Goettlingius: *Hesiodi Carmina*, pag. 69 et 188 ed. tertia.
[4]) Bacch. 377.

igitur in comissatione apud Admetum, myrtea corona redimitur [1]; Ionis convivae coronis ornati genio indulgent [2]) neque in choris serta desunt [3]). Gramineis coronis redimiti Centauri ad Thetidis nuptias veniunt [4]), nec minus qui sacris nuptialibus praesunt [5]), et mater filiam suam sponsam corona exornat [6]). In Bacchi thiasis dei lasciva turba crines coronis hederaceis [7]) vel smilace pulchricorymba [8]) vel quercus fronde religat [9]). Hippolytus coronam, floribus in Dianae sacro prato decerptis, huic deae donat [10]). Ion ut dei minister laurea corona redimitus [11]) myrteis coronis templi vestibulum exornat [12]). Hostia in sacris, sive homo est sive pecus coronis ornatur [13]). In funeris caeremoniis saepius de coronis myrteis mentio fit: mortui ipsi [14]) aeque ac arae in domu funesta [15]) et, in mortuorum honorem, eorum tumuli [16]) myrteis coronis ornantur. Qui laetum nuntium afferunt, sive oraculum faustum [17]) sive victoriam [18]), corona enim victorem decet [19]), coronam gestant.

Nonnumquam Graecis, civilibus officiis optime perfunc-

---

1) Alc. 759. — 2) Ion. 1160, cf. Eur. El. 496, Cycl. 559, Ai. 1199.
3) Phoen. 787. — 4) I. A. 1058. — 5) id 436. — 6) id. 905.
7) Bacch. 177, 341. — 8) id. 105. — 9) id. 703 et passim. — 10) Hipp. 73.
11) Ion. 522. — 12) id. 103, 1169. — 13) I. A. 1080 sqq.
14) Troad. 1144, Phoen. 1632. — 15) Alc. 170 sqq.
16) Soph. El. 893, Eur. El. 324, 512, Hel. 1265, Or. 1322.
17) O. R. 83, Hipp. 807.
18) Ag. 494, Trach. 178, Eur. El. 163, 872, Herc. Fur. 781.
19) Eur. El. 854, 862, 872, 887, Hec. 660.

tis, aurea corona publice praemio donabatur, quam consuetudinem respiciens in populi contione nescio quis surgens censet Orestem ut civem, qui bene de patria meritus sit, coronandum esse [1]); Tiresias se auream coronam e praeda, propter auxilium Atheniensibus latum, accepisse gloriatur [2]), et Helena queritur quod ignominia afficiatur ob quae potius coronam circum caput sibi contingere oporteret [3]).

Hinc saepe metaphoras tragici deprompserunt: Gloriae circumlocutione Sophocles usus est, ubi Aiax Telamonis facta laudat, quorum *εὐκλείας στέφανον* ille adeptus est [4]), quod Euripides imitatus est [5]). Alibi *στεφάνωμα μόχθων* honorem laboribus nanctum significat [6]), interdum eodem modo famam [7]), saepius victoriam [8]) adumbrarunt poetae.

---

[1]) Or. 924, cf. fragm. 362, vs. 34 sqq. — [2]) Phoen. 856.
[3]) Troad. 937 — [4]) Ai. 465.
[5]) Suppl. 315, fragm. 219. Cf. fr. 218, ubi tamen *ςεγανός* pro *ςέφανος* corrigendum esse olim docuit Herwerdenus in *Exercit. Crit.* p. 35.
[6]) Herc. Fur. 355. — [7]) Troad. 401, I. A. 194
[8]) Eur. El. 614, Troad. 565, I. A. 1529, Phil. 841.

CAPUT III.

DE ARTIBUS.

Artes homerica aetate non magnopere excultas fuisse cum ex Homeri carminibus tum e thesauris nuper a Schliemanno Mycenis repertis apparet. Scio equidem ita multas quaestiones adhuc obscuras multasque dubitationes nondum sublatas connexas esse cum his vetustate et raritate notabilibus reliquiis ut haesitaverim num hoc in libello eius rei mihi ratio habenda sit. Viris tamen doctissimis [1]) praeeuntibus thesauros effossos ad remotiora tempora, quae Homeri aetas excipit, haud temere refero.

Multae quidem res ad quotidianae vitae usum destinatae et arte quadam factae describuntur et inveniuntur sed deerant ista aetate pictorum et sculptorum revera artificum,

---

[1]) Cfr. *Bulletin de Correspondance Hellénique Avril* 1878, pag. 281: »Les découvertes de Mycènes doivent former le premier et le plus ancien chapitre de l'histoire des antiquités dans les pays grecs" — Dumont,

non cerdonum, opera qui hoc unum agerent ut sensus oculosque pulchritudine permulcerent.

Metallorum vero fabrica, cuius mentio apud Homerum frequentissima, non mediocriter profecisse videtur, quamquam Achillis clipeus, cum tot et tam diversi generis caelaturis ornatus, artificiosior est quam ut credamus poetam umquam tale opus revera vidisse, et palatia illa auro argentoque fulgentia potius poeticae imaginationi quam veritati tribuenda videntur.

Inter Architecturae monumenta apud Graecos templa primum locum tenent, antiquissimis temporibus e ligno facta, quorum ligneorum templorum etiam Euripidea aetate nonnulla supererant [1]), quae lignea aedificia tragici spectant, ubi spolia in sacris aedibus consecrata et affixa memorant [2]). Posterioris aetatis templa, ubicumque sita, sed semper plerisque spectatorum bene nota, saepius a tragicis celebrantur, imprimis ab Euripide, Graecae artis fautore, quorum monumentorum oblata occasione mentionem faciemus.

Nec minus aetate heroica ars statuaria in cunabulis fuit et statuarii sculpendo marmore aut ebore propter operis difficultatem abstinentes, ligno contenti, prima

---

[1]) Otfr. Müller *Hdb. der Arch.* § 52 A. 2.
[2]) Sept. 278, Eur. El. 6 sq., Troad. 578 sqq. Bacch. 1214.

artis specimina dabant, rudia sane neque quae cum posterioris aetatis arte comparari possint. Polyxena [1]) vero, tragicos si audimus, vestibus scissis pectora sua velut statuae pulcherrimae ostendit, quae verba non ita ad virginis formam quam ad mamillarum marmoreum candorem pertinent, et Andromedam scopulo alligatam Perseus, e longinquo per aërem adveniens, ubi conspicit virginis imaginem e saxo sculptam videre se putat [2]).

Euripidei homines ingenio carentes, carnes sine mente, dicuntur statuae fori [3]); et teste eodem saepius in athletarum honorem statuae in foris ponuntur [4]).

Alcesti moribundae maritus promittit se defunctae coniugis simulacrum in thalamo collocaturum [5]).

In fabula Aeschylea characterem facilem agnitu in typis imprimunt sculptores [6]).

Mortifera vestis Herculis Sophoclei membris inhaeret tamquam a fabro agglutinata tucina [7]). Nempe signa eburnea deorum saepe aureis vestimentis induta fuisse in vulgus notum est.

Mulieres Creusae Euripideae comites, Delphicum templum, quod poeta ipse et plurimi spectatorum viserant, adeuntes ectypa in utriusque fastigii tympano efficta stupent, laudant et quinque imagines, diligenter a poeta descriptas,

---

[1]) Hec. 560. — [2]) Eur. fragm. 124. — [3]) Eur. El. 388.
[4]) Eur. fragm. 284 vs. 10. — [5]) Alc. 348.
[6]) Aesch. Suppl. 282. — [7]) Trach. 768.

quas porticus metopicas figuras fuisse credo [1]). Talis descriptio spectatoribus artis amantissimi et intelligentes sine dubio grata fuit, praesertim quum, quod Musgravius probabiliter coniecit, Athenienses ipsi porticu illa templum donavissent e praeda, Lacedaemoniis ad Rhium [2]) a Phormione Ol. 87. 4. devictis [3]). Antiquissimis temporibus metopas apertas, non lapidibus exsculptis clausas, fuisse, poeta, reddens quod ipse viderat, non curat. Alteram eiusdem generis descriptionem apud Euripidem quondam exstitisse constat e fragmento valde corrupto [4]).

Tametsi non vestes tantum tingebant antiquissimi Graeci sed etiam eburneis ornamentis [5]) colorem inducebant, tamen quam proprie picturae artem dicere possumus, eius ne vestigium quidem apud Homerum invenimus. Tragici autem, multorum egregiorum artificum aequales, quorum operibus, summa arte factis, quotidie oculos pascebant, non facile aetatem informabant paene omni arte carentem. Prae ceteris Euripidem, qui ipse ineunte aetate picturae operam dedisse dicatur, — nonnullas tabulas a poeta ipso pictas Megaris servatas fuisse biographus nobis narrat, — Euripidem

---

[1]) Ion. 190 sqq. — [2]) Cf. id. vs. 1592.

[3]) Thuc. II, 84. Diod. Sic. XII, 48.

[4]) Eur. fragm. 764 ubi Dindorfium sequentes legimus:

ἰδοὺ, πρὸς αἰθέρ' ἐξαμίλλησαι κόρας,
γραπτοὺς ἐν αἰετοῖσι προσβλέπων τύπους.

[5]) Il. IV, 141.

dico, oratione sua saepius pictorem prodere non est quod miremur, cuius rei exemplum invenimus in fabula, quae Hecuba inscribitur, ubi miserrima anus Agamemnonem precibus obsecrat ut sui misereatur et quasi pictor eminus stans se intueatur[1]). Eundem pictoris loquendi modum denuo reperimus in Hippolyti querela „Utinam liceret me ipsum contemplari ex adversum stantem" [2]). Eiusdem Helenam piget quod non deleta sit tamquam pictura nec turpiorem formam pro illa pulchra acceperit[3]). „Heu res humanas" Cassandra apud Aeschylum[4]) queritur „prosperas forsitan cum imagine adumbrata aliquis comparaverit sed res adversae, ut aqua madefacta spongia picturam, felicitatis simulacrum mox deleverint," quam imaginem paene verbo tenus secutus est Euripides[5]) in Pelei fabula.

Perpaucae picturae nobis supersunt eaeque omnes multo serioris sunt aetatis. Tragicorum temporibus, praesertim Periclea aetate multi pictores arte insignes templa porticusque operibus suis ornabant. Dolendum est omnes has tabulas periisse sed multarum descriptionem Pausanias aliique nobis servarunt nec minus apud tragicos plurimis locis designationes invenimus, quarum tamen maiorem partem ad vasa picta pertinere credo.

Pythia apud Aeschylum Furias dormientes videns, quae sint nova illa monstra dubitat: Gorgonum enim typum

[1]) Hec. 807. — [2]) Hipp. 1078. — [3]) Hel. 262.
[4]) Ag. 1328. — [5]) fragm. 621.

formamque iis non esse, neque Harpyiarum, quas in tabula picta Phinei dapes rapientes [1]), aliquando se videre meminit.

Apud patrem Hippolytus Euripideus purum a concubitu sese iactat nec nisi fama vel pictura eam rem se novisse affirmat [2]).

Hecuba, quamquam ipsa numquam navem conscenderit tamen quos labores in tempestate subeant nautae bene se novisse autumat, non tantum auditu sed etiam picturae adspectu [3]).

Antigone de regiae solario inter hostium duces Hippomedontem observans exclamat „quam terribilis est adspectu, quam fulget ut astrum, giganti terrigenae in tabulis pictis consimilis'' [4]).

Iphigeniae tristissimam sortem chorus in Agamemnone recordatus ante oculos virginem proponit, veste crocea humi proiecta, unumquemquam sacrificantium ad misericordiam moventem et formosam ut imaginem pictam [5]).

In Ione Euripideo Minerva Erechthonium e terra sublatum tradidit Cecropis filiabus servandum, sicut ea res in picturis repraesentari solebat [6]).

Artem textrinam silentio praeterire potuissem, quippe quam Homeri aetate iam satis profecisse appareat ex Helena heroum certamina telis intexente [7]), nisi loci cuius-

[1]) Eum. 50. — [2]) Hipp. 1005. — [3]) Troad. 682. — [4]) Phoen. 127.
[5]) Ag. 241. — [6]) Ion. 271. — [7]) Il. III, 125 cf. XXII, 44 et passim.

dam [1]) ad argumentum meum pertinentis mihi venisset in mentem. Lacunar enim tabernaculi ab Ione confecti, in quo amicos suos coena excipiat, stragulis ornat et auleis parietes vestit, quorum unum Hercules, quamquam Ione minor est, alterum Atheniensis quidam deo dedicaverat. Euripidem hoc loco pro sua consuetudine artis opera revera exstantia descripsisse satis constare existimo. Textilia enim barbarorum, Asianorum opificum, quorum alia venationes equestres [2]), alia pugnam navalem [3]), Salaminiam fortasse, repraesentabant, fabulam spectantibus probabiliter nota erant.

Quae proprie scribendi ars appellatur Homero ignotam fuisse vix opus est ut moneatur [4]); signa enim in ligno scalpendi arti scripturae nomen vindicari non potest. Nihil enim hac in re valent fabulae, a poetis Homero aetate multo posterioribus, excogitatae et pugnantes cum vera hominum educationis cultusque historia. Sic inter multa beneficia, quibus secundum Aeschylum [5]) Prometheus, teste Euripide [6]) Palamedes homines affecit, etiam „oblivionis remedium'' scripturae inventio fuit.

Hinc occurrunt apud tragicos plurimae metaphorae ab arte scribendi petitae et translatae ad illa antiquissima tempora. Ubi v.c. Neoptolemus Philoctetae aliquid quam

[1]) Ion. 1143—1165. — [2]) Ion. 1160 sqq. — [3]) id. 1159.
[4]) Cf. Wolfii *Prol. ad Hom.* c. XX, XXI. — [5]) Prom. 460.
[6]) Eur. fragm. 582 cf. Soph. fragm. 379.

diligentissime commendat, addit „tuque ista scito et menti tuae inscribito" [1]), similiterque Prometheus, Choro Ius errores narraturus, praecipit ut quae dixerit memoribus animi tabulis inscribat [2]).

Eadem translatione usi sunt tragicae personae ubi ἐξαλείψασθαι, quod proprie de tabula cerea dicitur, pro ἐπιλαθέσθαι usurpant, velut Hecuba quum queritur se sua mala ex mente delere non posse [4]). Alibi idem verbum usurpatum reperimus ubi agitur de deorum honoribus perituris [5]), aut de familiae interitu [6]). Deorum metus ut semper sibi immaneat nec umquam extabescat chorus Aeschyleus [7]) optat, quo loco verbum ἐκτακῆναι legimus, quod verbum et ipsum tabulam ceream in memoriam revocat.

Nonnumquam epistolae aliave scripta ad dramatis progressus et exitum conducunt. Agamemnon v. c. Euripideus postquam ad uxorem suam litteras dedit filiamque Achilli nupturam arcessivit, alteram scribit epistolam, quae priorem irritam faceret [8]).

In Iphigenia Taurica recitata epistola Orestes sororem suam agnoscit [9]). Palamedem, cuius tristissima sors tribus tragicis fabulae argumentum dedit, subditicia epistola, quam Ulixes scripsisset, proditum esse veteres tradunt [10]).

---

[1]) Phil. 1325. — [2]) Prom. 789. Si plura vis eiusdem generis inspice Cho. 450, Aesch. Suppl. 179, 991. Soph. fragm. 535.
[3]) Trach. 683. — [4]) Hec. 590. — [5]) Sept. 15. — [6]) Cho. 503, I. T. 698.
[7]) Prom. 535. — [8]) I. A. 99, cf. 112. — [9]) I. T. 727, sqq. et passim.
[10]) Servius ad Aen. II, 80, Philostratus Her. X, 8, 12.

Phaedra, postquam gulam laqueo fregit, tabellam manu tenens conspicitur, falsas in privignum criminationes continentem [1]).

Apud posteriores usu receptum erat ut oracula petentes, ne dei responsorum obliviscerentur, statim haec litteris mandarent. Non aliter Hercules Sophocleus discedens uxori suae relinquit tabellas, quibus oraculum, multis annis ante editum, inscriptum fuit [2]). Euripides etiam oracula membranis atramento inscripta memorat [3]).

Praeter haec omnia tragici, temporum rationes parum curantes, commemorant opera veterum in quibus deorum facta conscripta sunt [4]); tabulas aeneas et libros [5]); quin libros ab Orpheo relictos [6]), elogium a poeta confectum et in sepulcro incisum [7]), inscriptiones in tropaeis [8]), in clipeis [9]), foederis tandem conditiones in tripode [10]).

Aliud ex alio peccato consequitur: epistolae et pugillares, duplicatae aut multiplices [11]), lino circumligatae [12]), anulo signatorio [13]) clauduntur. Iam Plinium [14]) non latuit Homerum de anulo signatorio silere et addit Ulixem dono

---

[1]) Hipp. 856 sqq. cf. 1311. — [2]) Trach. 47, 76, 156.
[3]) Eur. fragm. 629 διφθέραι μελαγγραφεῖς. — [4]) Hipp. 451.
[5]) Aesch. Suppl. 946 sq. — [6]) Hipp. 954. — [7]) Troad. 1180.
[8]) Phoen. 575. Ag. 577. — [9]) Sept. 434, 647.
[10]) Eur. Suppl. 1202. — [11]) I. T. 727 et passim.
[12]) Hipp. 86, I. A. 35 sqq. cf. 110.
[13]) Hipp. 864, I. A. 155. Aesch. Supp. 947.
[14]) Plin. Nat. Hist. XXXIII, 1. 4.

accepta munera in arca abscondere [1]), eamque artificioso nodo, quem Circe ei monstrasset, occludere, quod non facturum eum fuisse asseverat, si anuli signatorii usus iam tum vulgatus fuisset, quae eadem observatio necessario pertinet ad domus obsignatas [2]) apud poetas tragicos.

Non levem autem thesaurus a Schliemannio repertus creat difficultatem: si enim viri doctissimi, quorum sententiam supra [3]) laudavi, rem acu tetigerunt et pretiosa illa revera ad tempora antehomerica pertinent, Plinius errat, nam complures anuli signatorii, quorum figuras xylographicas in Schliemannii libro invenire potes [4]), Mycenis reperti sunt. Forsitan hac in re cautius sit omne iudicium cohibere, quia adhuc sub iudice lis est.

---

[1]) Od. VIII, 443. — [2]) Eur. fragm. 781 vs. 10, Herc. fur. 53, Adesp. fragm. 458. — [3]) pag. 27.
[4]) Schliemann *Mykenae* pag. 257, 403, 409.

CAPUT IV.

DE ETHNOGRAPHIA ET GEOGRAPHIA.

Antiquissimis temporibus Graeci, imprimis continentem habitantes, perraro ipsi peregrinantes, nondum, ut nonnullis saeculis post, nautae periti et minus frequentati ab exteris, parvum terrae angulum tantum cognoverunt eorumque totius orbis terrarum cognitio exigua nec accurata erat eorum quae norant scientia.

Quare omni paene commeatu destitutis communibusque commodis carentibus unius gentis notio nomenque iis deerat.

Hellas principio fortasse tantum Thessaliae urbem significabat [1]); Homeri autem aetate secundum Aristarchum [2]) Thessaliam, secundum recentiores interpretes [3]) Thessaliae meridianam partem inter Asopum et Enipeum, cuius regionis cum Phthia coniunctae rex Peleus erat. Hellenes

---

1) Strabo IX, 5. 6. pag. 431 sq. — 2) Lehrs *Arist. Stud. Hom.* pag. 233.
3) Vide apud E. E. Seiler *Homerus und die Homeriden* i. v. Ἑλλάς.

apud Homerum [1]), omnibus aliis exceptis, Achillei tantum milites audiunt. Paullatim nomen latius serpebat per mediam Graeciam et post bellum Persicum demum toti Graeciae una cum Peloponneso hoc nomen inditum est. Hellenes igitur Graeci se ipsos appellabant, omnes gentes septentrionales, peregrinis nationibus mixtas, segregantes et contumeliose semigraecos vel potius semibarbaros (*μιξοβαρβάρους*) vocantes.

Qui ipsi nomine Hellenum gloriabantur exteras nationes barbaros dicebant, quam vocem Homerus ignorat, nisi quod adiectivo *βαρβαρόφωνοι* [3]) i. e. *Graece non loquentes*, Cares semel, sine ullo opprobrio, notantur in ea Iliadis parte, quae ceteris carminis libris aliquanto recentior esse videtur; a quo loco tamen illa contemptionis notio ducenda est. At eo clarius discrimen inter Hellenes et barbaros fit quo magis, dignitatis praestantiaeque prae ceteris populis, imprimis Orientalibus, conscientia accrescente, Graecae gentis propria indoles apparebat. Graeci igitur non tantum peregrina lingua utentes, sed omnes exteras et minus cultas nationes, una pertica tractantes barbaros vocare solebant.

Homerus neque Graecos neque Troianos potiores habet; eandem indolem et religionem, easdem virtutes et fere

1) Il. II, 684. — 2) Phoen. 138.

3) Il. II, 867. Lehrs l.l. 233. Herodotus (II, 158) nobis narrat Aegyptios quoque omnes aliam linguam loquentes barbaros vocasse,

eosdem mores utrique genti ita tribuit ut non tantum barbariae nomen sed etiam notio ei desit. Quo modo demum multo post bellum Troianum — quin etiam post Homerum — Hellenum nomen vigere inceperit, docet Thucydides [1]), simul recte animadvertens quamdiu nomen Hellenum non cunctam Graeciam amplexum sit, notionem oppositam barbarorum manifesto defuisse.

Haec omnia nihil pensi habent tragici; longum tamen est nec satis utile sexcentos locos ubi Graecia, (*Ἑλλάς*, *Ἑλληνὶς χθών*, *Ἑλληνὶς αἶα*) Graeci (*Ἕλληνες*) vel barbari occurrunt enumerare. Nonnulli igitur loci, qui veram sententiam tragicorum aequalium adumbrant, sufficiant ad illustranda quae exposui.

Myrmidonum manus pars tantum est universi Graecorum exercitus [2]). Graecia magna praedicatur a mulieribus Corinthiis [3]). E qua Graeca civitate oriundus sit Orestem Iphigenia percontatur [4]); Graecorum coetus ipsa desiderat [5]); eamque Graecanice, i. e. ut quaevis femina origine et natura Graeca fecisset, ipsum interrogasse de laboribus ad Ilium toleratis et de Graecorum reditu, Orestes miratur [6]). Delphici ludi Graeciae sunt nobilissimum ornamentum [7]); spolia diis, qui per Graeciam coluntur, dedicantur [8]), et

1) Thuc. I, 3. § 3, 4. — 2) I. A. 1352.
3) Med. 440. — 4) I. T. 495. — 5) id. 1096. — 6) id. 660.
7) Soph. El. 682. — 8) Ag. 578.

paean ordiri inter sacra Graecum est institutum [1]). Graecae iuventutis Atridae imperium tenent [2]); Graecia Agamemnonem sibi imperatorem eligit [3]), itaque totius terrae Graecae dux est [4]) et cunctorum Graecorum (*Πανελλήνων* [5]) rex audit. Helena totam Graeciam perdidit [6]), pro tota Graecia igitur poenas dabit [7]).

Discrimen inter Graecos et barbaros [8]) cum ad linguam et consuetudines tum ad mores et indolem pertinet. Iam vero tragicorum morem populos exteros tales quales ipsorum temporibus erant describendi et barbarorum Asianorum, imprimis Persarum, mores Troianis tribuendi observemus.

Magno cum contemptu Tecmessa [9]) et Omphale [10]) barbarae dicuntur et Paris iuvenis barbarus designatur [11]). Argivorum rex praeconem vituperat qui, quum ipse barbarus sit, nimis Graecis illudit [12]). Idem rex licet Danaidum catervam primum conspiciens propter vestimentorum speciem barbaras esse credat, tamen ex ritu supplicum ramos

---

1) Sept. 269. — 2) Ag. 109. — 3) Eur El. 1082. — 4) Or. 574.

5) I. A. 414, Troad. 413, cf. Soph. El. 484, I. T. 17. Homeri versus, quo hoc verbum occurrit Il. II, 530 iam ab Aristarcho expungitur.

6) Or. 131. — 7) id. 1134.

8) Aeschylus saepe sermonis sublimitate novis verbis res notas significams obscuro verbo *καρβάν* et *κάρβανος* interdum pro *βάρβαρος* utitur (Suppl. 118, 914, Ag. 1061.) quod verbum veteres fortasse loci supra laudati memores a voce *Κάρ* derivant: *οἱ ἔχοντες Καρὸς βοήν.*

9) Ai. 1263. — 10) Trach. 252. — 11) Hel. 666. — 12) Suppl. 914.

gestandi Graecas esse concludit [1]). Ratione inversa Coprei, atrocissimi praeconis, legimus ornatum quidem Graecum esse sed facta barbara [2]).

Graecorum libertatis amor et virtus bellica, Persis devictis, ad immodicam sui aestimationem nonnumquam inclinans, poetis interdum audaciores sententias dictavit. Barbari homines nullius pretii sunt [3]), servile genus nec quod liberis Graecis comparari possis [4]). Apud barbaros enim — Persarum morem poetam spectare liquet — omnes praeter unum sc. regem, servi sunt [5]). Praeterea ignavi sunt et in pugna Graecorum hasta inferiores [6]), itaque Graecos barbaris imperare convenit, non autem barbaros Graecis; isti enim servi, Graeci vero liberi nati sunt [7]). Ergo numquam barbarorum genus Graecis fiet amicum [8]).

Porro Graecis persuasum erat extra Graeciam ius, leges, verae gloriae decus non reperiri. Iason beneficia sua erga Medeam enumerans hisce fere verbis eam affatur: „primum Graecam terram pro barbaro solo inhabitas, ius nosti, legibus uti assuevisti, non amplius ad violentiae arbitrium vivis. Nunc tuam calliditatem omnes Graeci noverunt inter quos gloriam adepta es; si vero in ultimis terrae finibus habitares, nullus de te esset sermo" [9]). Ius colere,

---

1) Suppl. 234. sq. — 2) Heracl 130 sqq. — 3) I A. 371.
4) Or. 1115. — 5) Hel. 276. — 6) Or. 1485.
7) I. A. 1400 sq, Andr. 665, Eur. fragm. 717, cf. Aristoteles (Polit. I, 2, § 5, VII, 6.) qui Asiaticis barbaris consilium tribuit, abnegat fortitudinem. — 8) Hec. 1200. — 9) Med. 536 sqq.

legibus oboedire honestissima sunt officia; qui contra ius non observat Graecorum communem legem violat [1]), sed praeceptum vere Graecum est, ne quis se legibus superiorem esse existimet [2]).

Graecorum est cognatos semper honorare [3]), toti contra barbarico generi turpissimus incestus exprobatur [4]).

Libertate erga hospites Graeci barbaris antecellunt. „Nemo" Menelaus dicit [5]) „tam barbarus qui meo nomine audito cibum mihi daturus non sit." Apud Thraces fortasse fas esse hospitem interficere, Graecis vero hoc turpe haberi Agamemnon Euripideus affirmat [6]).

Magna cum ingenuitate saepissime exteri se ipsos barbaros esse praedicant [7]), et magis etiam ex poetae persona et recentiorum Graecorum sententia loquuntur ipsi se moribus ingenioque minus valere confitentes. Phoenissarum, ut paucis exemplis defungar, chorus Polynicis verba prudenter dicta iudicat quamvis ipsae non sint in Graecia educatae [8]). Thoas, quamquam ipse barbarus, ubi audivit ex Iphigenia Orestem matrem suam interfecisse „ne inter barbaros quidem" inquit „quisquam tale facinus ausus fuisset" [9]).

---

1) Or. 494 sq.

2) Or. 487 cf. Thucd. I, 84 *ἀμαθέστερον τῶν νόμων τῆς ὑπεροψίας παιδευόμενοι.* — 3) Or. 486. — 4) Andr. 170 sqq. — 5) Hel. 501.

6) Hec. 1247 sqq.

7) Pers. 187, 255, 337, 423, 434. Rhes. 404. 832. I. T. 1170. 1422. Troad. 477, 766, 973, 991, 1021, 1276. Phoen. 497, 1301, et passim.

8) Phoen. 497 sq. — 9) I. T. 1174.

Eodem modo universa lingua Graeca barbaricae opponitur. Danaides se peregrina, Aegyptia, lingua uti dicunt [1]; ita lingua Phoenissarum [2]) et Phrygis canticum barbara dicuntur [3]). Nuntius quidam, magica carmina non recte capiens, barbara vocat quamvis ipse sit barbarus; Cassandra contra autumat se Graece loqui, quare non difficile esse arbitratur choro oracula sua recte interpretari [4]); Eteocles tandem magna cum pietate precatur ne hostes Thebas, urbem Graece loquentem, funditus perdant [5]).

Iam videamus quo modo singularum Graecarum urbium et populorum exterorum mentionem facientes tragici sua ipsorum tempora, non heroum aetatem, attendant.

A t h e n a e apud Homerum perraro memorantur: numquam in Iliade et tribus tantum Odysseae locis [6]); praeterea duces Atheniensium in Graecorum exercitu, neque bello insignes neque fortitudinem praestantes, numquam nisi obiter in heroum enumerationibus et proeliis memorantur [7]), quare non dubitandum est quin Athenae Sophoclis aetate „urbs praepotens, si qua alia Graeciae [8]), omnium nobilissima civitas" [9]), Homeri aetate parvi momenti fuerint. Nihilo-

[1]) Suppl. 118. — [2]) Phoen. 301, 679. — [3]) Or. 1386. — [4]) Ag. 1254.
[5]) Sept. 73.
[6]) Od. III, 307, VII, 80 et Suninum ἄκρον Ἀθηνέων III, 278. Non ratio hic habenda est locorum qui certe ad posteriorem aetatem pertinent: Il. II, 546 sqq. in navium enumeratione; Od. XI, 323, in necyomanteae extrema parte. — [7]) Il. IV 328, XIII, 196, 689, XV, 337.
[8]) O. C. 734. — [9]) id. 108.

minus inter omnes urbes, memoratas et celebratas a poetis tragicis, Athenae primum locum tenent. Nec mirum, in illa enim urbe festa celebrabantur Dionysi, in cuius honorem ludi scenici edebantur, et maior spectatorum pars, Athenienses ipsi, laudibus illis, urbi impertitis, maximo opere delectabantur. Tum spectatorum animi gaudio et superbia perfundebantur quum eorum honestissima origo celebraretur et ipsi vocarentur Erechthidae [1]), Cecropidae [2]), Cranai filii [3]), quum dulcissimis blanditiis eorum virtutes efferrentur: clementia et pietas [4]), iustitia et leges [5]). Athenae ipsae audiunt libera terra [6]), divinitus aedificatae [7]), inclytae [8]), opimae [9]), fortunatae [10]), beatae [11]), ut recte Sophocles Atticam Athenasque „maximis laudibus celebratam terram" dicat [12]).

Haec omnia spectatorum gratia dicta sunt, et facile est intellectu, quantopere civium animos movere et mulcere debuerint illae fabulae initio editae pro Athenarum civitatis salute preces [13]), aut Apollinis promissa

---

1) Ai. 202, 861, Ant. 982, Eur. Suppl. 387, 681, Ion. 1056 Med. 824. Hipp. 151, Herc. fur. 151, 1166, 1095 et passim. — 2) Phoen. 855, Ion. 137, 296.

3) Eum 1011, Aesch. frgm. 372. Cranai monumentum Athenis erat Paus. I, 31. 3. — 4) O. C. 237

5) Eur. Heracl. 329 sqq. O. C. 913 sqq. cf. Thucd. II, 40.

6) Heracl. 62, 198 et passim. — 7) Hipp. 974, vide Schol. h.l. Soph. El. 707

8) Ai. 861, Soph. fragm. 634. Heracl. 38, Ion. 30, 252, Hipp. 423, 760, 1094, 1459. Eur. fragm. 225. — 9) Alc. 452, I. T. 1130, Troad. 800.

10) O. C. 282 cf. Herodt VIII, 111, I. T. 1088. — 11) Alc. 452.

12) O. C. 720. — 13) Eur Suppl. 4.

se Palladis urbem et populum aucturum [1]), aut Minervae praedicatio tempus insequens maiorem honorem Atheniensibus allaturum esse [2]). Audite porro huius deae deprecationem ne Furiae Atticam terram laedant, neque iratae sterilitatem agris immittant [3]), deinde Furias vaticinantes [4]) agrorum ubertatem, pecudum fecunditatem, divitias ex metallis natas, concordiam inter cives, victoriam, pacem et postremo earum preces et vota in toto dramatis exitu, quae promissa et vaticinia omnia fideliter servata et rata facta iam videbant spectatores.

Minerva urbem, a nomine suo appellatam [5]), cuius domina et custos est [6]), amat, tuetur, honorat, unde Athenae sacrae [7]), sanctae [8]), divinae [9]), religiossimae [10]) dicuntur.

Hanc deam maxime Athenis cultam fuisse perpetuo audimus. *Νίκη Ἀθάνα,* addito interdum *Πολιάς*, Minerva subinde audit [11]) apud tragicos [12]) eoque nomine in Aeropoli signum ligneum ei dicatum fuisse novimus.

Sunium promontorium superantes Athenarum arcem et Athenae Promachi ingentem statuam [13]) videre poterant vectores nautaeque redeuntes et laeto animo deam et urbem salutare solebant [14]).

Parthenon disertis verbis non memoratur sed tabernaculi

1) Eum. 667. — 2) id. 853. — 3) id. 800, 830. — 4) id. 938 sqq cf. 947 sqq.
5) O. C. 107 sq. Ion. 9. — 6) Heracl. 772. — 7) Ai. 1221.
8) Eur El. 1320. — 9) Ion. 184. – 10) O, C. 260, 1004. — 11) Phil. 134.
12) Ion. 1529 cf. Phoen. 1372, Preller *Gr. Mythol.* I, 171.
13) Eur. El. 1254. — 14) Ai. 1220.

ab Ione aedificati, forma et mensura [1]) eadem fuit ac Minervae templi in arce, ut Parthenonis, illius decoris inter Atheniensium deorum aulas, pulchre columnis ornatas [2]), spectatoribus in mentem veniret. Praeterea Palladis simulacra talia describuntur qualia Athenis, ab artificibus confecta et ornata, omnibus nota erant, conspicua hastili [3]), et scuto [4]) aureo, draconibus [5]) et gorgoneo capite [6]). Apud Homerum Gorgonis quidem caput, monstrum terrorem incutiens, occurrit sed nondum insigne Minervae est.

Antiquissimum urbis templum, iam ab Homero memoratum [7]) Erechtheum fuit, quod a Persis eversum non statim sed in Peloponnesiaco demum bello restitutum fuit. In hoc templo prima oliva ostendebatur, quam, ceteris incendio deletis, *Ζεὺς μόριος* servasse credebatur [8]), ad quam rem Sophocles alludit in dulcissimo carmine, in quo Atticam civitatem olivis abundantem, verum etiam a diis custoditam, summis laudibus effert. In iis quoque fabulis Euripideis, quae probabiliter Peloponnesiaci belli aetate doctae sunt, itaque incidunt in templi restituti tempora, olivae in arce virentia folia numquam amittentis, quum ex immortali oliva orta sit, saepius facit mentionem [9]) Euripides, ut sic tem-

---

1) Ion 1128, cf. Etym. M. et Hesych. i. v. *ἑκατόμπεδος*. 2) id. 184 sqq.
3) id. 9. — 4) Phoen. 1372. — 5) Eur. El. 1254 sqq.
6) Ion. 989 sqq. 996, Hel. 1316, fragm. 353. — 7) Od. VII, 80.
8) O. C. 695 cf. Herodt. VIII, 55; Paus. I, 26. 6, 27. 2.
9) Ion 1433 sqq, 1479 sqq, fragm. 362 vs. 46, Troad. 801 sqq.

plum, mox novo splendore restitutum, significet. Nec minus huius aedificationis spectatores admonere videntur haec Creüsae verba [1]): „repubescit Erechtheus et terrigena „domus non amplius in tenebris versatur sed solis faces „rursus intuetur." Una cum Euripidis Erechthei fabula sine dubio multa ad architectonicam et ad Erechtheum pertinentia perierunt.

Peloponnesus non ante Heraclidarum reditum a Dorica gente habitatam fuisse constat, quem reditum spectat Sophocles [2]), cuius anachronismi iam ab Eustathio [3]) accusatus est. Quid enim? Teucer coram Agamemnone Aiacis facta enumerans dicit eum solum cum uno Hectore pugnam conseruisse, sortitum, non furtim iniecta inter alias sortes humidae telluris gleba, sed quae prima e casside facile exitura erat. Si Apollodorum [4]) audimus in Peloponnesi divisione Cresphontes ut pingue Messeniae solum sibi obtingeret, fraudem commiserat: glebam enim lapilli loco, in situlam aqua repletam coniecit, ne sua sors prima secundave prodiret. Talis igitur fraudis in sortitione illa, ab Homero [5]) nobis narrata, Agamemnonem tecte Teucer insimulat.

Octogesimo demum anno post Troiam eversam Dorica gens in Peloponnesum migrarat [6]); temporis tamen ordinem non servantes Sophocles „magnam Doricam Pelopis

1) Ion 1465. — 2) Ai. 1285. — 3) Eustath. pag. 361, 26.
4) Apollod. II, 8, 4. — 5) Il. IX, 171 sqq. — 6) Thucyd. I, 12.

insulam"[1]) vel „Argos Doricum"[2]) et Euripides „Doricam terram"[3]) Peloponnesum nuncupant. Lacedaemoniae, cuius soli et finium descriptio quaedam nobis partim servata est[4]), praecipua quidem urbs fuit Sparta, sed quia nulla fabula, ex iis saltem quae supersunt, ibi agitur, non ita frequens huius urbis eiusque partium fit mentio. Minerva huius quoque civitatis dea fuit tutelaris et in templo aerato in arce, Euripideis temporibus imprimis Pausaniae exitu famosa, maxime colebatur, unde deae cognomen fuit Chalcioecos[5]) sive, ut dicere placuit poetis, *χαλκόπυλος*[6]), i. e. aeneis portis munita.

Leucippi filiae[7]) Spartae divinis honoribus fruebantur iisque templum dedicatum erat, quarum sacra sacerdotes virginales curabant, Leucippidae et ipsae nominatae[8]).

Castor et Pollux mortui Eurotae gymnasia reliquisse dicuntur[9]), quorum geminorum statuae dedicatae fuerunt in *Δρόμῳ* sive *Ἱπποδρόμῳ*, qui teste Pausania[10]) ad Eurotam fuit.

Etsi recentiorum Spartanorum — quandoquidem Dores erant — naturae et moribus nihil commune erat cum indole ingenioque illorum autiquiorum heroum et Spartanorum, qui ab Achaica stirpe originem duxerant, tragici

1) O. C. 695. — 2) id. 1301. — 3) Hec. 450, Troad 234, cf. Hec. 934.
4) Eur. fragm. 1068. — 5) Hel. 228, 245.
6) Troad. 1113, cf. Paus. III, 17. 3.
7) Preller *Mythol.* II, pag. 98, Paus. III, 16. 1.
8) Hel. 1466. — 9) Hel 208. — 10) Paus. III, 14. 7.

tamen cum singulorum heroum tum totius Spartanae gentis mores ut pessimos describunt. Praesertim autem Euripides, odio summo in eos imbutus, semper, etiam operis lege non poscente, maledico dente eos carpsit, quin Menelaum tam nigris coloribus in Orestae fabula depinxit ut Aristoteles [1]) hoc sine necessitate factum ei obiciat. Addere possis durum et torvum Menelai charactera in Sophocleo Aiace [2]), quocum Aiacis ipsius et Teucri personas, quas poeta tanta benevolentia prosequitur, comparare operae pretium est. „Cui timor simul adest et pudor hunc salvum esse scito" [3]) sunt Menelai verba e Spartanorum institutis deprompta, qui, civitatem imprimis metu contineri existimantes, Timoris aedem iuxta triclinium Ephororum consecraverant [4]). Spartani bellicosi sunt sed inculti, ita ut si belli gloria et proelia iis deessent in ceteris forent inferiores [5]). Locum ubi acerrime Spartae incolas infamat et conculcat Euripides legimus in Andromachae fabula [6]). Poetam si audimus, dicuntur omnibus hominibus inimicissimi, quorum mentes dolis mendaciisque oppletae omnia mala machinantur et — Atheniensem patriae hostibus invidentem audite! — immerito in Graecia florent. Poeta odio suo non temperans et iram acerbissimam effundens „Quid sceleris" ita pergit „vobis non inest, nonne plurimae caedes, nonne turpi lucro dediti estis? nonne alia in lingua prompta habetis alia clausa in pectore [6])?

[1]) Arist. Poet. XV § 5. XXV § 17. — [2]) Ai. 1047 sqq. — [3]) id. 1079.
[4]) Cf. Plut. Cleom. 9. — [5]) Andr. 725. — [6]) id. 445 sqq.

Pereatis!" Idem avaritiae opprobrium in Lacedaemonios iactum reperimus in Pace [1]) Aristophanea, quae eodem fere tempore acta est, et de duplici eorum ingenio ad verbum paene cum Aristophane convenit Herodotus [2]). Quod ad caedes illas plurimas attinet, non facile decerni potest, utrum temere hoc iecerit poeta an atrocis cuiusdam facti memor. Barnesius ad crudele Plataearum excidium verba rettulit [3]), alii contra ad Taenarium scelus, quo parricidio Athenienses hoc tempore Lacedaemonios se obstrinxisse perhibebant [4]) aut ad aliam Helotum caedem [5]). Alibi quoque apud Euripidem Laconum crudelitatem et morum vafritiam vituperatam invenimus [6]).

Interdum etiam feminas Laconicas ludibrio habet poeta ubi dicit castas Spartae non facile inveniri posse puellas, quae nudis femoribus et tunicis laxatis cum iuvenibus certent in curriculis et palaestris [7]), quod convicium haud sane opportune iterant Troianae mulieres, narrantes se in terribili Troiae extrema nocte lectum festinanter reliquisse simplici tantum veste indutas, Doricae more puellae [8]).

Nulla res est e qua sententiam, tragicos suae ipsorum aetatis imaginem in fabulis reddidisse, melius iudicare possis quam e diversa ratione, qua pro temporum discrimine

1) Arist. Pac. 624. — 2) Herdt. IX, 54 cf. Arist. Ach. 307 sqq. Pac. 1067.
3) Thuc. III, 68. — 4) Thucd. I, 128, Arist. Acharn. 509 sqq.
5) Thucd. IV, 80. — 6) Eur. Suppl. 187. — 7) Andr. 598. — 8) Hec. 933.

mentio ab iis inicitur de Spartanis. Quaecumque enim mutatio in Atheniensium cum Lacedaemoniis, sive inimicitia sive amicitia facta est, eadem in tragoediis ut par est, palam fit et manifesta. Aeschylus, marathonius miles, eo tempore vixit quo cuncta Graecia, Persarum minacem et imminentem dominationem excutiens, coniunctis omnium opibus viribusque, barbaris restiterunt, unde totam Graeciam sibi patriam, cunctos Graecos socios existimavit. Itaque simultatis inimicitiarumque nulla apud hunc inveniuntur vestigia. Minervae igitur vaticinium facile cuivis intellectu est, quum bellum intestinum abominans praedicit: „mox erit bellum externum in quo magnum gloriae studium excitabitur" [1]. Hostibus tamen profligatis paullatim discordia et invidia per Graeciam gliscentibus, Iones magis magisque a Doribus abalienati sunt. Hinc Sophocles fabularum suarum argumenta e multarum Graecarum urbium historia mythica petere desiit, sed toto animo et summo studio ad Atticas fabulas, quibus veterum Atheniensium gloriam celebraret, operam suam impendit poeta, qui, tametsi civium suorum partibus nusquam non favet, perraro tamen Atheniensium in hostes invehitur. Euripides vero iam a puero odio in Spartanos imbutus quaecumque datur Lacedaemoniorum lacerandorum occasio cupidius arripere solet.

Homero disertis verbis Argos et Mycenas distin-

---

[1] Eum. 864 sqq.

guente Aeschylus hanc urbem in nulla fabula commemorat eiusque Oresteae pars maior Argis geritur. Sophocles vero in Electra Homerum sequitur; paedagogus enim Argivam planitiem, quae a Mycenarum collibus longe patet, Orestae ostendit, sed Mycenas eum advenisse docet [1]). Attamen non tantum in fabulis a Strabone laudatis, quem utriusque urbis confusio non fefellit [2]), sed in plerisque tragoediis Euripideis, nomina Argos et Mycenae eandem urbem significant. Innumerabiles quidem locos ad rem notam illustrandam non collegi, sufficere ratus si ex illis dignissimos qui inspicerentur notarem [3]). Mycenis solo aequatis ab Argivis [4]), Ol. LXXVIII. 1, earumque agro cum victorum terris coniuncto, ea nominum confusio spectatores non offendebat. Euripidem ipsum has ruinas spectatum ivisse persuasum habeo et quantum moles illic exstructae, vetustissimorum temporum reliquiae, poetam commoverint frequentissima earum commemoratio docet [5]). Uno loco [6]) illarum parietinarum ar-

---

1) El. 9 cf. 161, 423.

2) Strabo XVIII, 377 *διὰ δὲ τὴν ἐγγύτητα τὰς δύο πόλεις ὡς μίαν οἱ τραγικοὶ συνωνύμως προσαγορεύουσιν, Εὐριπίδης δὲ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ δράματι τοτὲ μὲν Μυκήνας καλῶν τοτὲ δ᾽ Ἄργος τὴν αὐτὴν πόλιν, καθάπερ ἐν Ἰφιγενείᾳ καὶ Ὀρέστῃ.*

3) Or, 98 cf. 101, 1246 cf. 1247; id. 1464 cf. 1470. Heracl. 85 cf. 98; id. 134 cf. 136; id. 298 cf. 299. Phoen. 608 cf. 613.

4) Diod. Sic. XI, 65 cf. Paus. VII, 25. 6.

5) Eur. El. 1158, I. A. 151, 534, 1501, Troad. 1088, I. T. 845 cf. Cycl. 239. Herc. Fur. 998.

6) Herc. Fur. 944.

chitectonicam rationem paucis quidem verbis, quae tamen oculatum testem produnt, designat ubi Hercules minatur se moenia illa „regula et caelis aptata" eversurum esse. Quamquam in antiquissimis fabulis Cyclopes, antra habitantes, cultu longissime absunt omnique arte carent, Euripides tamen Mycenarum moenia Cyclopia vocavit, quod nomen suo arbitratu primus finxisse aut certe vulgasse videtur Euripides, quem posteriores [1]) secuti sunt. Quae appellatio quum praeterea semel in Sophocleo quodam fragmento [2]) reperiatur, non inepta est sententia paucis annis maiorem poetam a minore aequali hoc nomen mutuatum esse.

Argis, in urbe antiquitus Iunoni carissima, celeberrimum erat huius deae templum, quod a Polyclito, Sophoclis Euripidisque aequali, opere praestantissimo ornatum, heroica aetate iam exstitisse non est verisimile. Saepius tamen tragici templi, omnibus Graecis noti, mentionem faciunt [3]): quin Aeschylus iam Io huius delubri aedituam fuisse finxit [4]). Eodem modo Forum Lycaeum cum Apollinis Lycaei templo [5]) Argis fuisse memoratur.

Argivorum terrae varia nomina tragici indiderunt, partim antiquissimis temporibus prorsus ignota, partim ab

1) Apollod. II, 1. 3. Strab. VIII, pag. 373. Paus. II, 25. 8.
2) Soph. fragm. 222. — 3) Soph. El. 7, I. A. 739, Paus. II, 27. 1.
4) Suppl. 291. — 5) Soph. El. 6, 645, 1839, Paus. II, 19. 3.

Homerico usu abhorrentia. *Argos* enim *Pelasgicum*, quod nomen apud Homerum Thessaliam aut tantum adiacientem Peneo flumini planitiem significat, apud tragicos, praeeunte Aeschylo, recentiorem fabulam secutos, quae Pelasgum regem Argivis praefecerat, terram Argolicam designat [1]), cuius nomen *Argolis* [2]) quoque frustra apud Homerum quaeritur. Euripidem porro primum et solum *Cyclopeam terram* [3]), Argos nominasse facile ex iis quae modo dixi apparet.

Tragici, quum Thebas quoque describant quales ipsi viderant, tamen non ita nos offendunt, multa in hac urbe priscae antiquitatis monumenta commemorantes ut Zethi [4]), Amphionis [5]), septem Niobes filiarum [6]) sepulcra, moenia miro modo ab Amphione exstructa [7]), Tiresiae auguraculum [8]), Semeles bustum [9]), quia huius antiquissimae urbis historia ad vetustissima tempora pertinet, teste Homero, apud quem heroes iam occurrunt, quorum sepulcra et opera modo laudavi. In urbis septem portarum enumeratione Euripides cum Aeschylo fere congruit [10]); illas portas vero

1) Aesch. Suppl. 253. Or. 692, 960. I. A. 1498, Herc. Fur. 464. Heracl. 316. — 2) Herc. Fur. 1017.

3) Or. 965, Herc. Fur. 15, I. A. 265, 1498.

4) Phoen. 145, Paus. IX, 17. 4. — 5) Sept. 528, Eur. Suppl. 663.

6) Phoen. 159. — 7) id. 114, 824.

8) Bacch. 347, Phoen. 840, Ant. 999 cf. Paus. IX, 16. 1.

9) Bacch. 6 cf. Paus. IX, 12. 3, 16. 4.

10) Eur. Phoen. 1104, 1109, 1119, 1129 cf. Aesch. Sept. 460, 377, 570, 423; Krenaeam portam, (Phoen. 1123) Aeschylus tantum Borealem (Sept. 527) nominat; portam vero Hypsistam neuter poeta, nescio quare, nominatim affert. cf. Phoen. 1134, Sept. 631.

antiquitus eadem nomina habuisse, quae postea, tam tragicorum quam Pausaniae [1]) aetate, in usu fuerint non mihi verisimile fit, praesertim quum porta Ogygia [2]), ab Aeschylo Oncaea [3]) dicta, nomen suum ducat a templo suburbano, Minervae Oncaeae dedicato, quod deae cognomen Homero prorsus ignotum erat. Similiter neque Diana Euclia) neque Apollo Lyncaeus [5]) apud Homerum audiunt, quae numina, sub cognominibus laudatis, historica aetate Thebis templa habebant. Ismeni [6]) delubrum posterioris originis fuisse constat quia in eo ex igne divinatio exercitabatur, quae ut mox demonstrabimus [7]) Homeri aetate nondum innotuerat.

Neque Thessalus populus, quem inter Graecos Troiam oppugnantes Neptunus numerat [8]), neque Thessalia, regionis nomen, apud Homerum occurrunt. Aleuam demum, qui ex Herculis stirpe fuisse dicitur, Thessaliam in quatuor partes sive tetrachias divisisse veteres tradunt [9]). Nihilominus in Alcestide, in qua fabula Hercules ipse partes agit, Admetus tetrachiae iam rex est [10]). Etiam Pharsalus sub Achillis dominatione [11]) fuit in qua regione Thetideum fuisse Strabo [12]) docet; tota enim illa Thessaliae pars, teste Herodoto [13]), Thetidi consecrata erat, in quo Thetidis sa-

1) Paus. IX. 8 sqq. — 2) Phoen. 1113. — 3) Sept. 483 cf. 501, 460.
4) O. R. 161 cf. Paus. IX, 17. 1.
5) O. R. 204, 919, Sept. 145, Soph. El. 645. — 6) O. R. 21.
7) Cap. VI. — 8) Troad. 30, 241 cf. Rhes. 699. I. A.
9) Harp. i. v. τετραρχία, Schol. ad Pind. Pyth 10. 8.
10) Alc. 1154. — 11) I. A. 812, Andr. 16.
12) Strabo IX, pag. 431. — 13) Herodt. VII, 191.

cello igitur Euripidea Andromache supplex consedit. Dolosi Thessalorum mores apud posteros ita famosi erant ut τὸ Θεσσαλὸν σόφισμα [1]) Graecis in proverbio esset, cuius rei nonnulla exempla in Scholiis l.l. inspicere licet.

Ampliorem totius orbis terrarum cognitionem ubicumque apud tragicos quam apud Homerum invenimus. Herodotus [2]), deridens et corrigens tabulas geographicas antea perverse confectas, inter primos fuisse videtur, qui remotiores terrarum fines cognoverunt, et melius terrarum partes, Europam et Asiam distinxerunt. Non amplius Oceanum, orbem terrarum circumfluentem, sed terrae habitatae Nilum et Phasin fines posuit Herodotus, cuius recentiori sententiae Menelaus assentiri videtur, perhibens [3]) ultra Nili flumen et Phasin Andromachen pelli oportere, qua formula extremos orbis terrarum terminos denotat, qui alibi [4]) Ponto Euxino et Oceano Atlantico designantur. In hymno [5]), in Apollinis honorem facto, quem multo post Homerum scriptum esse constat, primum Europa, regionis nomen, occurrit, quo nomine tamen Graecia tantum Septentrionalis significatur. Asia autem illa prata [6]), parva Lydiae pars, posteriore tempore nomen suum Asiae indiderant. Itaque apud tragicos Io vagans Euxinum fretum

[1]) Phoen. 1407. — [2]) Herodt. IV, 42, 45. — [3]) Andr. 651.
[4]) Hipp. 3, 1054, Herc Fur. 234. — [5]) Hymn. Ap. 251, 291.
[6]) Il. II, 461.

traiecit postquam in Asiaticum solum ex Europa venerat [1]. Graeci, Troia expugnata, in Europam redierunt [2] et Asiam relinquens captivarum chorus, Graecis servitum matribus ut eat, Europam se adire queritur [3]. Asiae Europaeque fines Paridi Iuno promisit si ceteris deabus ipsam antetulisset [4].

Phrygiam, Mysiam, totamque Lydiam ad Asiam pertinere docet Aeschylus [5]; remotiores quoque regiones Ciliciam et Pamphiliam Supplicum chorus Io pervagatam esse novit [6]; Dionysi per Persidem, Bactrianam, Mediam, Arabiam felicem itinerum in Bacchis fit mentio [7].

„Nomades S c y t h a s, in curribus habitantes", memorant et Herodotus [8] et Aeschylus [9]. De horum ferrifodinis aliquoties sermo est apud tragicos. [10] T h r a c u m, cuius gentis Homerus aliquam saltem notitiam habuit, vinolentiam, apud posteriores famosam, castigat Rhesi auctor. [11] Bacchi oraculum in Thracia magna auctoritate fuisse apparet cum ex Herodoto [12] tum e tragicis. [13] In Rheso autem Thracia terra argentifera [14], et auro dives mons Pangaeus [15], ita insignibus laudibus a poeta celebrantur, ut

1) I. T. 396 cf 135, 180. Prom. 735 — 2) Andr. 801.
3) Hec. 482, cf. Eur. El. 315. — 4) Troad. 927, cf. Ion 1356.
5) Aesch. Suppl. 547. — 6) id. 551. — 7) Bacch. 15 sqq. cf. 64.
8) Herodt. IV, 19. — 9) Prom. 709, cf. Hesiod. fragm. 189.
10) Prom. 2. 301, 714. Sept. 817.
11) Rhes. 405, *προπίνειν*, 438 *ἀμύστιδες* et passim. — 12) Herodt. VII, 111.
13) Hec. 1267, Rhes. 972. — 14) id. 970. — 15) id. 922.

tam frequentem commemorationem locorum, Strymoni et Pangaeo monti adiacentium, non sine causa factam esse credamus. Athenienses enim, testante Thucydide [1]), anno 467 Thasiis victis, ad Strymonen decem millia colonorum miserant terrasque auriferas occupaverant. Post hunc igitur annum Rhesi fabula, de qua quando in scenam commissa sit non constat, docta esse videtur.

Quum Europae partes vergentes ad occidentem Homero prorsus ignotae essent, inter illas fabulosas regiones Italiae nomen frustra nos quaerere par est. Attamen frumentum Italicum ante omnia Sophocles laudavisse in fabula Triptolemo Plinius auctor est. [2]) Nobilem Italiae terram Bacchus colere [3]) ab eodem poeta dicitur, duas fortasse ob causas, cum quia vini erat feracissima, ut Scholiastes explicat, tum quia, Atheniensium colonia nuper Thurios deducta, [4]) huius terrae commemoratio grata erat fabulae spectatoribus. Troiades captivas eandem ob causam in Italiam se abductum iri sperantes finxisse videtur Euripides [5]). Apud Graecos Homero recentiores, itaque apud tragicos, nomen *Italia* inferiorem huius terrae partem vel Magnam Graeciam, a Graecis colonis cultam, significat. Inter reliquas Italiae gentes, apud tragicos memoratas, occurrunt

1) Thuc. I, 100, cf. IV, 102.
2) Soph. fragm. 529. Plin. H. N. XVIII, 12. 1. — 3) Ant. 1119.
4) Thuc. VII, 33. — 5) Troad. 220 sqq.

T y r r h e n i, tubae inventores[1]), habitantes ad mare Tyrrhenum[2]); V e n e t i, nobilissimos equos alentes[3]); L i g u r e s, quibus Hercules bellum intulit[4]), ubi magae Circes patria est[5]).

Σικελοί in extrema Odysseae parte saepius et semel[6]) *Σικανίη* occurrit, sed nullo loco huius populi vel terrae fines describuntur. His verbis S i c u l o s et S i c i l i a m Homerum prudentem et scientem indicasse non dignam fide sententiam existimo. Quo modo enim Homerus meris in fabulis versans, ubi de occidente agit, certam huius insulae notitiam habere potuit? Sicanos et Siculos, quos nonnulli[7]) eosdem fuisse putant, Thucydides distinguit: illos enim natione Hiberos, qui in Siciliam migrantes nomen suum insulae dederint, hos Italicam gentem fuisse perhibet, quae, freto traiecto, fere trecentis annis ante Graecorum in Siciliam adventum, denuo nomen insulae mutaverit[8]). Niebuhr Siculorum originem in Epiro quaerendam esse putat[9]), quod si verum est Homerum huius terrae incolas voluisse non inepta coniectura est. Quod ad Sicaniam apud Homerum commemoratam attinet, hoc modo rem explicaverim: fortasse ad poetae aures incertus de hac terra rumor pervenerat, cui ipse fidem habere vix

1) Med. 1342, 1359 cf. pag. 2. — 2) Soph. fragm. 527.
3) Hipp. 230, 1131. — 4) Aesch. fragm. 196, Soph. fragm. 527.
5) Troad. 437. — 6) Od. XXIV, 307.
7) Wachsmuth *Hist. Rom.* pag. 75. — 8) Thucd. VI, 2.
9) *Mus. Rhen.* I, pag. 255.

poterat, quare in narratiuncula tantum, ab Ulixe mendaciter conficta, huius terrae mentionem fecit. Utut est, tragicorum personae Siciliam e regione Libyci litoris sitam [1]) eiusque montes et flumina [2]) bene noverant. Ex Aetnae ardentis descriptione [3]), quam Aeschylus in Promethea fabula intercalavit, efficimus hanc tragoediam post Ol. LXXV, 2, conscriptam esse, quo anno eruptione Aetnaeorum ignium terras finitimas vastatas esse veteres tradiderunt.

Nonnumquam ubi Sicilia apud tragicos memoratur, fabulae argumentum cum rebus eo tempore gestis, quo fabula ipsa docta est, conspirat. Troiades, verbi causa, patriam suam relicturae, ut in Siciliam abstrahantur cupiunt [4]), quam tum in ditionem se redacturos esse sperabant fabulae spectatores [5]). Similiter Atheniensibus, Siculam expeditionem parantibus, gratificaturus Euripides in Electra Dioscuros in scenam prodeuntes finxit pollicentes se in Siculum mare profecturos esse ad naves Atheniensium servandas simulque violati iuris iurandi poenas a scelestis exacturos [6]), e quibus verbis satis plane apparet fabulam paullo *ante* cladem actam esse. Nam si vera esset sententia, quam Hartung nescio quibus argutiis tueri conatur, *post* Siculam calamitatem fabulam doctam esse, Dei scilicet nimis sero proficiscentes non spectatoribus spem ostendissent, sed risum iis vel potius iram movissent.

---

1) Troad. 221. — 2) id. 228. — 3) Prom. 351—367. — 4) Troad. 221.
5) Teste Aeliano Var. Hist. II, 8 Troadum fabula Ol. XCI. 1. docta est.
6) Eur. El. 1347.

Postremo nonnulla de Africa videamus. Aegyptus in Odyssea interdum memoratur sed praeter Phari insulam et Thebas, centum portis munitas, nil nisi nomen occurrit. Nec mirum, exigua enim tam longinquae terrae ea aetate notitia erat, quia *δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε* [1]) iter in Aegyptum heroes existimabant. Magnum autem Nili flumen eodem nomine ac ipsam regionem hi vocabant. Quam bene contra noverunt tragicorum personae illam Aegyptum, Syriae vicinam [2]), ubi sitae sunt Ammonis sedes, aqua pluvia destitutae [3]). Quam bene noverunt flumen, quod non amplius Aegyptus sed Nilus vocatur. Infra cataractam, ubi de montibus Nilus laticem suum demittit in terram triquetrem Niloticam [4]), in ipso Nili ostio Canopus urbs Aegypti extrema [5]) sita est, nec procul ab illa Memphis [6]). Recentiorum de Nili agros inundantis coniecturae conspirant cum tragicorum doctrina perhibentium ex Aethiopiae montibus solutas nives augere Nili aquas. [7]) Qua in re Anaxagoram poetas secutos esse tradit Diodorus [8]). Seneca autem eadem affirmans addit Aeschylum, Sophoclem, Euripidem haec tradidisse [9]). Ex Aeschyleo tamen quodam fragmento [10]) iam ante Anaxagoram hanc opinionem pervulgatam fuisse apparet, quum eodem anno

1) Od. IV, 483 et passim. — 2) Aesch. Suppl. 6.
3) Alc. 116, Eur. El. 734. — 4) Prom. 811 sqq.
5) Prom. 846 sqq. — 6) Aesch. Suppl. 311.
7) Hel. init. Eur. fragm. 230. — 8) Diod. Sic. I, 38.
9) Sen. Natur. Quaest. IV, 2. 16. — 10) Aesch. fragm. 304.

quo Anaxagoram Athenas adiisse veteres tradunt, Aeschylus obierit. Pauca, quae tragici de Aegyptiorum moribus tradunt, congruunt cum Herodoto. Dum viri intus sedent telam texentes, uxores in publicum prodeunt procuraturae quae ad victum pertineant [1]). Mos ex hordeo coctum vinum bibendi tam apud Aeschylum [2]) quam apud Herodotum [3]) commemoratur.

Carthago condita plerumque creditur medio seculo nono. Triptolemum tamen Carthaginem pervenientem facit Sophocles [4]); urbem autem a Phoenicia originem ducere et Siciliae regionem ei esse oppositam iam Troades Euripideae noverant [5]). Rationem vero qua Carthaginienses victimas sepeliebant aut potius comburebant, Euripides ad Tauros, hospites immolatos in foveam igne repletam deicientes, transferre videtur [6]), quod Diodorus [7]) recte perspicit. Non tamen Hartungo [8]) assentior perhibenti Euripidem in Phoenissis feminas Carthagine missas in scenam induxisse ut sic ad iungendam cum hoc populo amicitiam cives suos hortaretur, quum communes Poeni cum Atheniensibus hostes haberent Syracusanos. Uno tantum loco fretus miram sententiam defendere conatur: chorus se fausto Zephyro Ionium mare, quod (quoque) Siciliam circumfluit,

---

[1]) O. C. 837, cf. Herodt. II, 35. — [2]) Aesch. Suppl. 952 sqq.
[3]) Herodt. II, 77. — [4]) Soph. fragm. 536. — [5]) Troad. 221.
[6]) I. T. 626 — [7]) Diod. Sic. XX, 14. — [8]) Hart. *Eur. Rest.* II, 409.

navigantem Thebas advenisse narrat [1]). Itaque non ex oriente sed ex occidente mulieres profectas esse Hartungus contendit. Virum doctum, ut saepius in suo ceteroquin egregio opere, ex hoc loco plura elicere quam re vera poeta dederit, unusquisque, cui non sit praeiudicata opinio, facile concedet! Ubi enim legimus eas per totum iter favonio idoneo usas esse? Nonne Zephyrus commodus est ventus Corinthiacum sinum intrantibus et Creusin, ad Thespiarum et Thebarum portum, cursum dirigentibus? Tyrium mare et urbem in insula sitam se reliquisse chorus canit, quae verba solum Tyrum non Carthaginem, in paeninsula sitam, spectare possunt. Communes esse amicorum dolores, communes etiam, si quid passura sit haec terra, affirmant [2]), quia Cadmi Thebarum conditoris patriam habitent. Pietatis enim vinculum plerumque diu exstitisse inter colonias et urbes unde originem duxerunt Graecorum historia omnium temporum docet.

N a v i g a t i o cum mercium mutatione coniuncta iam dudum apud populos Orientales, praesertim apud Phoenices florebat, quum Graeci, quibus certae sedes nondum essent, navigationi operam dare ne cogitarent quidem. Insulanos [3]) postea primos navigatores et proinde primos mercatores

---

[1]) Phoen. 202 sqq. — [2]) id. 242.

[3]) Lemnii et Taphii tantum apud Homerum exiguam mari exercent mercaturam.

fuisse facile intelligitur. Amplae tamen mercaturae indicia multa apud tragicos sese offerunt. Ita frequentissimae imprimis sunt metaphorae e re navali petitae, ut statim sentias fabulam in scenam productam apud populum navigationi maritimae intentum. Multus est Sophocles in Atheniensium navigationis laudibus [1]); Neptunus igitur deus marinus apud eos in honore est [2]). Praeterea multa memorantur a tragicis, quae antiquissimis temporibus exstitisse non infitias ire conabor, sed hac quoque in re recentiora usurpantur artis vocabula, quae frustra apud Homerum quaereres. Plura navium genera, quorum nomina saltem recentioris aetatis sunt, in tragoediis occurrunt, ut navis actuaria quinquaginta remorum (*πεντηκόντορος* [3]), et naves onerariae, quae fune trahuntur (*ὁλκάδες* [4]) aliaeque quae *ἄκατοι* [5]) appellantur, porro scaphulae, quae resti nexae e maiore navigio ducuntur (*ἐφολκίδες* [6]), deinde *βάριδες* [7]) quo nomine proprie naves Aegyptiacae, saepe tamen quaevis navis barbara significatur. Idem valet de plurimis navium partibus, quas tamen ut levioris momenti silentio praeterimus. Obiter tantum moneo Homerum

---

1) O. C. 711 sqq. cf. Med. 830. — 2) O. C. 1072 sqq.
3) Hel. 1412, 1531, I. T. 1124. — 4) Cycl. 505.
5) Hec. 446, Or. 342, Troad. 1100.
6) Herc. fur. 631, 1424, Hel. 200 cf. Schol. Ar. Vesp. 268: *ἐφολκὶς κυρίως λέγεται ἡ λέμβος, ἡ μικρὰ ναῦς, ἡ ὑφ᾽ ἑτέρας μεγάλης ἑλκομένη.* — 7) Aesch. Suppl. 816, I. A. 297.

numquam, frequentissime tragicos mentionem fecisse de pausario aut tibicine qui celeusmate remiges incitat [1].

Antiquissimi negotiatores non pecunia sed mercium compensatione emere et vendere solebant, aut pro mercibus aurum argentumve solventes haec, numis signatis carentes, pendebant. Primum numorum Atticorum signum bovem fuisse Plutarchus [2]) narrat, cuius rei fortasse memor Aeschyleus custos iocans bovem linguam suam comprimere dicit; mercede enim corruptum secreta effutire dedecet [3]). In Corinthiis numis, Polluce auctore [4]), Pegasi imago expressa erat, quare *πῶλοι* dicebantur, ut Attici numi, Minervae imagine insignes, *παρθένοι* vel *κόραι* vocabantur. Utrique rei facete libidinosus Sciron [5]) alludit, ubi de caris Corinthiis meretricibus disputat. Numorum cusorum et signatorum mentio fit, quoties numi adulterini memorantur. Sic senem, qui Orestem olim matri subduxerat, in domum redeunte oculos defigentem Agamemnonis filius rogat: „quid me intueris tamquam argenti signum contemplans" [6])? quod ii facere solent qui dubitant an numi boni non sint. Numi adulterini Graece *κίβδηλοι* [7]) dicuntur vel *παράκοποι* [8]), quibus verbis tragici saepius metaphorice utuntur.

---

1) I. T. 1125 sqq. 1405, Hel. 1576 cf. 1565, Eur. El. 435.
2) Plut. Thes. 25. — 3) Ag. 36. — 4) Pollux IX, 75
5) Eur. fragm. 676. — 6) Eur. El. 558. — 7) Med. 516, Hipp. 616.
8) Prom. 581, Bacch. 33, Hipp. 238, cf. Ag. 780, Phoen. 805.

Palamedes scribendi arte inventa docuit emptionis legem conscribere, quae mendacia et lites praeverteret [1]). Sunt qui putent — sed, quantum equidem iudicare possum, nulla coacti necessitate, — Orestae verba *πάντ' ἀνεσκευάσμεθα* [2]), „penitus eversi sumus" pecuniae negotium spectare, quia proprie hoc verbum dicatur de argentariis foro cedentibus.

Amplioris mercaturae et longiorum itinerum indicia reperimus quoties tragicae personae fructus, animalia, officinae opera, quae tam singulis Graeciae regionibus quam remotioribus terris propria sunt, noverunt iisque utuntur. Equi Venetorum [3]) Aetnaei muli [4]), canes Laconici [5]) sagacissimi, Indorum, qui Aethiopibus vicini sunt, cameli instrati [6]) laudantur. E Thessalia galeros [7]) et arma, ut hastilia [8]), arcessunt et cultros [9]), qui maioris formae sint quam Dorici [10]). Syrium malabathrum et thus [11]), Sardium electrum [12]), Indicum aurum [13]), Thracicum argentum [14]), e Pangaeo monte effossum, glaesum e Padi vicinia [15]) iis nota sunt. E Thracia exportatur vinum Byblinum vel Thracicum [16]), quod in quodam Euripidis fragmento [17])

---

1) Eur. fragm. 582, vs. 8 sqq. — 2) Eur. El. 602.
3) Hipp. 231, 1131. — 4) O. C. 312. — 5) Ai. 8.
6) Aesch. Suppl. 284 sqq. — 7) O. C. 314. — 8) Hipp. 221.
9) Eur. El. 836. — 10) id. 819. — 11) Ag. 1312, Bacch. 144.
12) Ant. 1037 sqq. — 13) Rhes. 955. — 14) Rhes. 971.
15) Hipp. 737. 16) Ion. 1195. — 17) Bekker *Anecd.* 1187.

thracico verbo ζελᾶς nominatur. In Philoctetae fabula [1]) insula Peparethus sine causa memoratur, Atheniensibus tamen bene nota, quippe quae vinum egregium tulerit, quod Demosthenis [2]) aetate usque ad Pontum exportabatur. Frumentum Italicum [3]) et silphium Libycum [4]) a Sophocle laudantur.

Exterorum populorum mores accurate descripti recentiora, non heroica, tempora spectant. Mores Orientales, qui cum Asiae coloniarum commercio tum etiam bellis Persicis Graecis innotuerant, plerumque a tragicis damnantur. Specula et unguenta barbari Orientales curant [5]); braccis induti sunt [6]); εὐμάριδας, calceamenti genus, gestant viri [7]), feminae sandalia auro distincta [8]); eorum vestes floribus ornatae et aurea ornamenta luxuriam testantur [9]). Plumatili flabello matronae sibi ventulum facere eunuchum iubent [10]). Consanguines nuptiis inter se iungi solent [11]).

Rex omnium imperio suo subiectorum dominus est [12]), unde ortus est adorandi mos, quem Graeci libertatis amantes semper horrebant; ne servum quidem dominum suum adorare decet [13]), cuius tamen honoris quod cupida sit, Helenae Hecuba indignabunda conviciatur. [14]).

1) Phil. 548. — 2) Adv. Lacrit. pag. 935, 7. cf. Plin. IV, 12, 23.
3) Soph. fragm. 529. — 4) Soph. fragm. 945. — 5) Or. 1111.
6) Cycl. 182. — 7) Or. 1370 cf. Pers. 660. — 8) Or. 1470.
9) I. A. 74, Troad 991. — 10) Or. 1426. cf. 1528. — 11) Andr. 174.
12) Hel. 276. — 13) Or. 1507 sq. — 14) Troad. 1021.

Signa ignibus data (πυρσοί) Homerus in bello iam novit, sed morem famam alicuius rei gestae per ignes pervagandi, si umquam apud Graecos in usu fuit a Persis didicerunt; cuius rei peregrinam et proinde recentiorem originem Aeschylus [1]) ipse aperit voce Persica (ἄγγαρος) utens. Eodem modo Persarum nuntios Persico nomine (παρασάγγης) interdum tragici significarunt [2]).

Quamquam Homerus Phrygiam et Troadem semper diligenter distinguit tragici utramque regionem confundentes Troianos plerumque Phryges appellant. Sexcenta licet huius rei e quavis fabula exempla proferre, perpauca tamen sufficiant: Ilium Phrygia urbs [3]), Hector [4]) et Paris [5]) Phryges dicuntur.

. Praeterea tragicos Phrygibus aut Troianis mores, instituta, vitia attribuisse, quorum Homero recentiores Graeci Persas insimulare soliti essent, e locis supra laudatis luce clarius apparet. Quibus addere possis totam Orestae fabulae scenam ubi sub ridicula Phrygis eunuchi [6]) persona Persarum ignaviam [7]) et improbitatem [8]) poeta perstrinxit.

Causa contemptionis, quae in tragoediis Phrygis nomini adhaeret, partim in alio anachronismo quaerenda est;

1) Ag. 282. — 2) Soph. fragm. 459, Eur. fragm. 687.
3) Or. 1383. — 4) id. 1480.
5) I. A. 71, 92, 1284, 1475, 1511 cf. Hec. 4, 492, 776, 827, 1111, 1141, Eur. El. 681, 917. Troad. 64. — 6) Or. 1528. — 7) id. 1351.
8) id. 1447.

Athenis enim multi servi degebant e Phrygia allati, homines ita nequam ut illud Orestae dictum *ἀεὶ κακοὶ Φρύγες* [1]) proverbii colorem habeat, quocum concinit sententia, quam Suidas affert *Φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων καὶ διακονέστερος.* Quam ob rem se neque Lydum neque Phrygem, non servum empticium, esse Admeti pater, filii convicia aegre ferens, dicit [2]). Eodem pertinet quod contumeliose Teucer Agamemnonis avum Phrygem fuisse exprobat eiusque matrem Cressam [3]); Cretenses enim apud posteriores Graecos infamia flagrabant.

---

1) Or. 1448. — 2) Alc. 675. — 3) Ai. 1292, 1295.

CAPUT V.

DE REBUS PUBLICIS.

Ex utroque Homeri carmine discimus illis temporibus imperium semper penes reges fuisse, quorum potestatem, nobilium consilio quidem temperatam, in populum nullis finibus circumscriptam sed non duram fuisse constat.

Populus interdum in concionem convocabatur [1]) non vero ut rogarentur sententiam, latisque suffragiis rem propositem probarent aut antiquarent, sed ut audirent, quae reges cum principibus plerumque iam antea in consilio decrevissent [2]), quae decreta laeto aut adverso clamore probare aut increpare licebat [3]).

Apud tragicos illi *διοτρεφέες βασιλῆες*, illi *ποιμένες λαῶν* aut violenti fiunt tyranni ut Lycus et Theoclymenus, quibus tamen populus iure suo fretus adversatur, aut

---

1) Il. I, 54, II, 87, VII, 345. Or. II, 6. III, 127. VIII, 5. XXIV, 420.
2) Cf. Arist. Eth. III, 5, 41. Schol. Il. IX, 17.
3) Il. II, 334, 394, Od. III, 150.

cum populo regnum participant ut reges Attici, imprimis autem Theseus, quem domesticae Atticorum fabulae [1]) democratiae faciunt conditorem.

Apud Homerum sceptrum insigne est regum, nec minus vatum, praeconum, iudicum; apud tragicos vero solis regibus proprium est. Similiter thronus, apud Homerum nihil nisi artisellium cum adiecto scabello, numquam, ni fallor, solis regibus attribuitur; apud tragicos semper ad regiam tantum dignitatem pertinet, et cum sceptro [2]) aut imperio [3]) saepius coniungitur.

Regnum heroica aetate hereditarium est; nihilominus Creon, cui tamen iure hereditario regia potestas erat, in illa dominationis apologia — quae rhetorum dicendi genus, quantumvis rarum sit apud Sophoclem, redolet — docet quem civitas summae rerum praefecerit ei cives parere oportere [4]) regnumque sine populi consensu non solere aucupari sed populi favore et opibus obtineri [5]) audimus.

Reges saepe tyranni audiunt, quod nomen neque apud Homerum neque apud alium antiquiorum poetarum Graecorum memoratur. Hippiam [6]) sophisten sequentes non

---

1) Plut. Thes. 21, 33. Paus. I, 3, 3.
2) O. C. 425, 448, 354, 1293, 1354.
3) O. R. 237, 399, O. C. 1380. Ant. 166, 173. — 4) Ant. 666.
5) O. R. 541.
6) Vid. Schol. Argum. O. R. ὀψέ ποτε τοῦδε τοῦ ὀνόματος εἰς Ἕλληνας διαδοθέντος κατὰ τοὺς Ἀρχιλόχου χρόνους, καθάπερ Ἱππίας ὁ σοφιστής φησι, quocum congruit Schol. Prom. 224.

ante Archilochum hoc nomen in usum venisse credimus. Thebis Oedipus, Athenis Demophon tyranni fuisse dicuntur sed hic non tyrannidem se obtinere, sicut apud barbaros [1]), autumat. Plerumque tyranni a regibus non discrepant [2]), interdum tamen a poetis liberae civitatis sociis male tractantur. Aeschylus, qui diem viderat quo urbs servile iugum deiecerat, idem Marathonius miles, qui pro cara patriae libertate pugnaverat, tyrannidem detestatur et mortem dominatione tolerabiliorem putat [3]). Euripides vehementius exclamat: „pereant omnes qui tyrannidi faveant et paucorum in civitate imperio; libertas enim maximi pretii est [4]). Dominare non aequum est neque sine lege tyrannum esse oportebat, qui solus sui pares regnare velit. Hoc petere stultitia est [5])!" Tyranni, quem insolentia gignit [6]), sors tristissima tamen est: multitudini placere oportet [7]), semper in invidiam venit [8]), regnat in terroribus versans [9]), semper insidiae ab iis, qui regnum occupare cupiunt ei struuntur [10]); tyrannis enim iniustitia splendida est [11]).

Nunc ad populum eiusque iura redimus, quae fere nulla

---

1) Suppl. 423.

2) Phoen. 40. Trach. 316, Ai. 749. Hipp. 363; *κράτος τυραννικόν* regia potestas O. C. 373; *τυραννίς* regia dignitas O. C. 419. *τυραννεύειν* regem esse O. C. 448; *τυραννικὸν δῶμα* regia aula. Phoen. 1331, Eur. fragm. 605. — 3) Ag. 1365. — 4) Eur. fragm. 227.

5) Eur. fragm. 172. — 6) O. C. 873. — 7) Eur. fragm. 171.

8) O. R. 382. — 9) id. 585, cf. I. A. 17.

10) Herc. Fur. 65, Eur. fragm. 846. — 11) Phoen. 549.

sunt apud Homerum dum apud tragicos de variis rebus populus suffragium fert sublatis manibus, *χειροτονίᾳ* [1]): de bello [2]), de caede perpetrata [3]) aliove crimine [4]) publico, eique ius est vitae atque necis [5]).

Pelasgorum rex apud Aeschylum [6]) ipse Danaidum causam decernere non audet, sed populo convocato civibus suis (*τὸ κοινόν* [7]) persuadet ut benevoli supplices hospitio excipiant et populus suffragiis latis [8]) unanime decrevit ut ne invitae puellae Aegypti filiis traderentur.

Eodem modo Agamemnoni domum reverso in animo est rerum perturbationi, longa sua absentia in civitate ortae, mederi, populo in concionem convocato factaque omnibus potestate dicendi [9]).

Veram democratiae imaginem Theseus, vel potius Euripides [10]), expressit in illo sermonum certamine cum Thebanorum praecone, qui monarchiae oratione sua patrocinatur. „Athenis", rex ait, „tyrannum frustra quaesiveris, non regitur urbs ab uno viro, sed est libera civitas, populus imperat successione per vices annua" — scil. per archontes, qui demum post a. 683 singulis annis creabantur, aliosque magistratus — „non divitibus plurimum tribuens sed aequo iure fruuntur cives tenuiores". Qualis rerum status est

---

1) Aesch. Suppl. 604, 621. Or. 1025. — 2) Eur. Suppl. 481.
3) Or. 756 et passim. — 4) id. 766. — 5) id. 758. — 6) Suppl. 516.
7) id. 518.
8) id. 601: *δήμου ψηφίσματα*, 643: *ψῆφον τίθεσθαι*, et passim.
9) Ag. 845 sqq. — 10) Eur. Suppl. 403 sqq.

Aristide posterior. „Sunt leges" ita rex pergit „omnibus communes per quas infimi cives, modo iustam causam tueantur, potentissimos vincere possunt. Libertas illa unicuique concedit ut consilium reipublicae utile in medium proferat; eadem audaciorum civium vitas ab anxii tyranni crudelitate, puellarum pudicitiam ab eius libidine, divitias ab eius avaritia defendit". Poetam tamen non latuisse democratiae pericula apparet e praecone respondente saepe homines, privati lucri studiosos, populum vanis sermonibus ad mala consilia impellere, ipsos novis artibus poenam effugientes: rusticos, pauperes, imperitos reipublicae commoda respicere non posse, prae laboribus enim tempus iis deesse; saepe igitur improbissimo cuique aurem praebere cum magno praestantiorum civium damno: populum porro magna cum levitate de bello suffragium ferre solere, quod si non faceret numquam Graeciam cupiditate belli furentem fuisse perituram neque umquam Graecos, spretis pacis commodis, improba bella suscepturos fuisse ut viros urbesque inferiores in servitutem redigerent.

Egregie alibi poeta multitudinis in comitiis iras turbasque adumbrat: populus ira incensus non facile sedatur, sed qui populo ubi opus est cedere temporaque observare didicit, ubi resedit animorum furor facile quid velit impetrat [1]).

---

[1]) Or. 696 sqq.

Euripides [1]) Argivorum populum (*ἔκκλητον ὄχλον* [2]) de Clytaemnestrae percussoribus facit iudicantem. Quo loco nuntius quidam tam vividis coloribus simulque tam accurate ac diligenter disceptationes forenses depingit ut in mediis Atheniensium comitiis versari nobismet ipsi videamur. Praeco formula usitata [3]) rogat quis dicendi petat potestatem; surgunt oratores: primus Talthybius, potentium vilis adulator, post hunc Diomedes, rex iustus et clemens, tum vir quidam — cuius nomen reticens nuntius procul dubio hominem de plebe significat — vir procaci lingua, audax, fraude et artibus civitatem adeptus, facundus oratione sed male animatus [4]); tandem surgit homo forma non conspicuus sed fortis, urbis forique rarus frequentator, colonus unus ex iis, per quos civitas salva est, disertus et integer, qui, domesticas virtutes et coniugii sanctitatem defendens, non tantum absolvendum esse Orestem censet sed etiam coronandum. Omnium postremus prodit reus ipse, ut revera in iudiciis fieri solebat, causamque suam dicit. Populus vero factiosis et ambitiosis oratoribus aures praebens boni illius civis consilia negligit.

Quantae auctoritatis pessimi isti oratores et demagogi

---

[1]) Or. 646 sqq. — [2]) id. 612 cf. 949.

[3]) Cf. Dem. Cor. 70 *τίς ἀγορεύειν βούλεται.*

[4]) His verbis adductus poetam demagogi Cleophontis effigiem expressisse Philochorus nescio quo loco suspicatus est. Vide Schol. ad Or. 760 et 891.

Euripidea aetate fuerint e poetae frequentissimis seriisque praeceptis discere possumus. „Odi homines improbos, qui iniusta facinora componentes commentis exornant'' Ion e poetae mente dicit[1]). Non convenit pulchre dicere in rebus non honestis[2]); facta enim hominum plus valere oportet quam linguam[3]). Etiam planius illos rabulas spectant haece poetae dicta: qui inter doctos nullius sunt pretii saepe apud infimam plebem aptiores sunt ad loquendum[4]): perniciosus est civis, qui facundia pollens male animatus est[5]). Acerrime Hecuba[6]) non tantum in Ulixem (*δημοχαριστὴν Λαερτιάδην*[7]), qui semper apud tragicos vafros demagogos repraesentat, invehitur sed in totum invisum genus eorum, qui contionabundi populares honores consectantur, qui amicos laedere nihil curant, modo suadere possint, quod multitudini gratum sit. Animus generosus contra lege stabilior est; illum nemo sermone depravare potest, hanc rhetor omnia turbans saepe evertit[8]).

Hic rabularum grex a comitiis arceri nequit in civitate ubi floret loquendi libertas, quae est omnis libertatis principium et fons[9]). Ion igitur sperat fore ut ex Attica muliere se natum esse appareat, ut sibi ius sit libere loquendi, quo iure careat quicumque peregrinus in alienam

---

[1]) Ion 831, cf. Med. 577. — [2]) Phoen. 528.
[3]) Hec. 1187 cf. Hipp. 486 sqq. Troad 966 sqq.
[4]) Hipp. 988 sq. — [5]) Bacch. 271 cf. fragm. 660 vs. 5 sq.
[6]) Hec. 254 sqq. cf. Schol. — [7]) Hec. 134. — [8]) Eur. fragm. 600.
[9]) Hipp. 423.

civitatem habitatum concesserit [1]). Eodem iure nec servi [2]) fruuntur nec exules, quod iis est maximum malum [3]).

Quanti momenti fuerit in Atheniensium vita iurisdictio considerantes non mirabimur tot voces et formulas a tragicis e consuetudine fori petitas esse.

Causam suam in iudicio agere cuique civi licebat sed inquilino et servo hoc ius negatum erat; patronum (*προστάτην*) igitur ille aliquem e civibus sibi adoptare debebat [4]); servo vero dominus patronus aderat [5]). Cuius rei rationem habet Tiresias [6]) affirmans se liberum non Creontis servum esse, quare nolle se tamquam Creontis patroni clientem recenseri in tabulis publicis. Item Agamemnon Teucro, quum e matre captiva natus esset, civitatis ius abnegat eumque iubet alium ingenuum arcessere, qui causam pro ipso dicat [7]). Eodem pertinet Sophoclis pulchra metaphora „deo patrono uti" [8]).

Heroica aetate homicida, *ἄνδρα κατακτάς*, exulatum abire solebat, quod potius more quam lege factum esse credo. Theseus [9]) contra Herculem liberis interfectis iubet Thebas relinquere ex lege, cuius legis mentionem facit Demos-

---

[1]) Ion. 671. — [2]) Phoen. 392. — [3]) id. 391.

[4]) Suid. i. v. *νέμειν προστάτην*, Hesych. i. v. *προστάτην.*

[5]) Demosth. c Callicl. § 31, c. Nicostr. § 21. — [6]) O. R. 411.

[7]) Ai. 1260. — [8]) O. R. 882, cf. Aesch. Suppl. 726.

[9]) Herc. Fur. 1322 cf. Hipp. 27, Med. 796.

thenes [1]): *τὸν ἁλόντα ἐπ᾽ ἀκουσίῳ φόνῳ ἔν τισιν εἰρημένοις χρόνοις ἀπελθεῖν τακτὴν ὁδὸν καὶ φεύγειν*, quam legem *ἀπενιαύτησιν* Plato [2]) vocat. Eidem legi parentes Theseus [3]), Pallantidis occisis, et Orestes [4]), priusquam de materna caede purgari potuit, annuum exilium subierunt.

Servo interfecto Athenis domino interfectorem *γραφῇ ὕβρεως* persequendi lege facultas erat eodem iure, quo propinqui percussorem persequi licebat, de qua re apud Antiphontem oratorem legimus [5]): *ἡ ψῆφος ἴσον δύναται τῷ δοῦλον ἀποκτείναντι καὶ τῷ ἐλεύθερον*. Quam ob rem Hecuba Euripidea, in Agamemnonis servitutem redacta, hunc regem obsecrans ut de filii sui percussore poenas sumat, his verbis utitur: „apud vos, o rex, et liberis et servis aequa de caede lex constituta est" [6]). Servo a domino male habito ad aras deorum confugere licuisse docet Supplicum chorus. [7]) Athenis autem praesertim Thesei aedem asylum fugitivis praebuisse veteres testantur. [8])

Ad aliud iuris institutum fortasse respicitur his verbis Alcestidis satis obscuris: „mori me oportet, quod malum me non in crastinum neque in tertium mensis diem sed statim invadet". [9]) Artaudius in huius fabulae editione

[1]) Dem. c. Aristocr. § 72. — [2]) Leg. IX, 868 cf. XI, 866 cf. Xen. Mem. I, 3, 13, Suid. i. v. *ἐνιαυτῷ φυγεῖν*. — [3]) Hipp. 37.

[4]) Or. 1645. — [5]) Antiph. de caede Herod. 48. — [6]) Hec. 291.

[7]) Eur. Suppl. 268.

[8]) Plut. Thes. 36. Arist. Eq. 1312 cf. Becker *Char.* (1878) III, 35 sqq. — [9]) Alc. 320.

suspicatur Athenis usitatum fuisse capitis damnatis trium dierum dilationem concedere ante supplicium. Quod parum credibile mihi videtur; nusquam enim morem fuisse legimus ut mortis damnati ipso mensis initio poenam subirent. Quum vero constet debitoribus pecuniam mutuam sumptam aut usuras debitas primo mensis die fuisse persolvendas: fieri potest ut ei, qui solvendo non esset, a creditore aliquot dierum prorogatio permittenda fuerit, quacum sententia optime hic locus quadraret. Alcestis enim, quum praestituta die se pro marito diem obituram promiserit, Morti vitam debet, severo creditori, qui nullam patitur dilationem.

Praeter haec pauca innumerabiles locos in tragoediis reperias ubi verba iudicialia leguntur, quae, in oratorum scriptis perfrequentia, frustra apud Homerum quaesiveris. Ex ingenti locorum numero unum exempli gratia promam. In Eumenidum fabula, ubi cives Attici primam causam de caede cognoscunt (vs. 681), Areopagus instituitur, quare curiosa iudicii descriptio, quamquam recentiorum rerum imaginem ad vivum expressit poeta, offensioni non est. Orestes, reus (*ὑπόδικος* 260) de caede, patriam, genus, casus profiteri debet (437); testes sibi comparat, qui iurati (485) dicunt testimonia. Apollo testis simul (*μαρτυρεῖ* 567) prodit et patronus (*συνδικεῖ* 549). Minerva litem contestatur (*εἰσάγει* 580); accusatori (*διώκοντι* 583), ut fieri solebat dicendi fit potestas, reus interrogatur, defenditur ab Apolline causidico (*συνδίκῳ* 731). Post altercationes cives iurati (680)

suffragia ferunt; nonnulli iudicum, quibus hoc mandatum est, calculos ex urnis excutiunt et numerant (742); vincit Orestes quidem (νικᾷ 741), crimine absolutus (ἐκφεύγων 752), quum par sit in utraque urna calculorum numerus (754); sed tamen ea ipsa de causa accusator non vincitur (795).

CAPUT VI.

DE TRAGICIS RERUM GESTARUM AUCTORIBUS.

Saepius in tragoediis invenimus, quae in diversam sententiam intelligi et explicari possint, quae tum ad fabulam ipsam pertinent tum sensum occultiorem continent, quum rerum publicarum conditionem poetae ipsius aetatis spectent. Cuius rei apud Euripidem, quippe qui omnium tragicorum maxime subiectivam scribendi rationem inierit, sexcenta proferre licet exempla. Tangens enim quaecumque ad rempublicam pertinent, nunc democraticae factionis assectator et fautor est, modo egregii viri consilia commendat, modo populi duces, privatis suis commodis tantum servientes, eorumque dolos ut caveant spectatores monet. Foedera cum aliis civitatibus ut ineant cives suadet; patriae suae amantissimus patriae amorem apud alios et odium in Athenarum hostes, praesertim in Spartanos, acrius suscitat neque consopire sinit. Aeschylus et Sophocles quoque interdum sua tempora praeteritis immiscentes modum tamen

non excedunt neque certos fines operis lege constitutos praetergrediuntur. Nemo dubitat quin Aeschylus Eumemidum fabula composita veterem Areopagi auctoritatem, democratico rerum novarum studio labefactam, defendere conatus sit, cuius dramatis tamen omnes personae vita quotidiana superiores sunt, sublimitatis et grandiloquentiae non expertes licet rebus recentioribus alludant. Tempora vero Euripidea agitata et turbata, quum partium studium prohiberet quominus Athenienses animo et sermoni moderarentur, poetam quoque perducebant ut saepius et planius a fabulis ad facta se converteret.

Iam plurimis locis, occasione data, historiae ratione adhibita temporum translationem indicavi. Non pauca mihi restarent nisi mihi visum esset hanc meae inquisitionis partem in angustum concludere. Desudaverunt enim iam multi viri docti in indagando ex ipsis fabularum argumentis, quo tempore singulae, de quibus id aliunde non constat, in scenam commissae sint. Saeculo proximo Galli in *Actis Academiae Inscriptionum* huius rei initium fecerunt, quorum princeps fuit Lebeau jeune [1]. Recentiorum primus fuit Augustus Boeckhius, qui in

---

[1]) Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles lettres t. XXXV, pag. 432: Lebeau jeune: *Sur les allusions faites à des circonstances historiques par les tragiques grecs* cf. Sallier, ibid. t. VI, pag. 385, Hardion t. VIII, pag. 288, L. Racine t. VIII, pag. 288, X, 311.

opere doctissimo *Graecae tragoediae Principum, num ea, quae supersunt, genuina omnia sint cet.* (1808) enumerat multa in spectatorum, multa in partium favorem dicta, multa e temporis historia illustranda, unde suspicari liceat, quibus temporibus quaedam fabulae doctae sint. (Cf. imprimis Cap. XIV, XV.). Huius exemplum secutum esse Suevernium apparet ex opusculis eius in Actis Acad. Berol. (1824, 1825) *Ueber einige historische und politische Anspielungen in der alten Tragoedie*, et *Ueber den historischen Charakter des Drama.* Nec vero praetereundus est Adolfii Schoelii liber *Sophocles, sein Leben und Wirken* (1842), qui vir doctus eandem rationem, qua alii in Euripide usi fuerant, Sophocli quoque adhibuit, unde sagacius quam verius multa huic poetae tribuit de quibus vix unquam cogitavit. J. A. Hartungus scripsit *Euripidem restitutum*, praeclarum opus. Dolendum tamen est quod miro modo vir doctissimus ingeniossimis inventis alia admodum temeraria, ne ridicula dicam, ita immiscuit, ut potius ingenii lusus quam seria studia dixeris. Zirndorferus (1839) et Th. Fixius (1843) scripserunt *Chronologiam Euripidis fabularum*, ab audacibus coniecturis plerumque abstinentes. In egregio opusculo suo H. Weilius *De tragoediarum cum rebus publicis coniunctione* (1844) multa ab aliis proposita mira arte refutavit aut novis argumentis et rationibus confirmavit. Fere omnium horum sententias et coniecturas,

in libro copioso, a nullo non lecto, *Études sur les tragiques Grecs*" (cinquième édition 1873) M. Patinus collegit. Quibus viris addere possis permultos, qui singulas tragoedias tractaverunt; vix enim dici potest quot viri docti, ab scholiastis, illis minutarum rerum studiosis, usque ad hodiernos praestantissimos viros, operam dederint ut, tragoedias perscrutantes, poetarum allusiones sive indicia de rebus sua aetate gestis invenirent, et inventa profecto laborem non fefellerunt. Divite messe facta fuerunt qui, repertis non contenti, semper novi quid excogitare studerent. In nulla non triumvirorum tragoedia, in singulis cuiusvis fabulae personis, vel minima similitudo cum tragicorum aequalibus et civitatis statu sufficiebat ut totam fabulam per allegoriam interpretarentur obscurorum quippe investigatores. Quod novum interpretandi genus viros ceteroquin sagacissimos ad ridiculas ineptias depulit, quarum nonnullas, animi tantum causa, referre volo, quippe quas redarguere vix operae pretium foret.

Passovius, ut ab hoc ordiar, Aeschyli Prometheum hoc modo explanavit. Iupiter scilicet cum alios demagogos tum Periclem significat; Mercurius sycophantarum gregem; Prometheus ipse Areopagum, homines a Iove oppressi Athenienses. Huic splendidae explicationi perincommode accidit quod Pericles decimo demum anno post Prometheum actum ad rempublicam administrandam acces-

sit. Fabulam enim Aeschylus conscripsit, quod Aetneae ardentis descriptio testatur [1]), paullo post Ol. LXXV, 2.

Sophocleus Philoctetes, quinam Graecorum ad Troiam mortem occubuerint, diligenter inquirit. [2]) Nemo non pulcherrimum locum, ad animos tum spectatorum tum lectorum permovendos aptissimum, admiratur. Neoptolemus autem, bellum semper optimos quosque perimere sed malis parcere affirmans, multorum heroum flebilem sortem narrat. Cuius loci venustatem et simplicitaten male tractans Schoellius [3]) in Nestore Antiphontem oratorem, in Antilocho Phrynichum, in Thersite Cleophontem populi ducem agnoscit. Qui credat Sophoclem eiusmodi argutiis praestantissimum opus foedasse, eum parum huius poetae poeseos ingenio imbutum esse existimo. In Antigonae fabula — quae heroina, Haemoni sponsa, Aspasiam a Pericle amatam significat! — celebrantur hominis ingenium et varia inventa (*τὸ μηχανὀεν τέχνας* [4]), quae perpauca verba acumini Schoellii sufficiunt ut statim intelligat hoc loco poetam Melissum physicum et Artemonem machinatorem bellicorum tormentorum spectavisse: illum enim Samiis, hunc Atheniensibus artis suae auxilium praestitisse quo tempore fabula conscripta sit.

Quid argumenti P e l i a d a r u m, cuius tragoediae Euripideae nonnulla fragmenta exstant, fuerit unusquisque

---

[1]) Prom. 365 sqq. — [2]) Phil. 410 sqq. — [3]) l.l. pag. 339.
[4]) Antg. 362.

ex ipso titulo facile intelligit. Attamen non ita facile excogitabis huius fabulae explicationem, quam nobis Hartungus gratificatur. Viro docto ut aurem praebeas, lector benevole, quaeso. Olympiade LXXX. 3. Atheniensium iuventute partim in Aegyptum profecta partim in oppugnanda Aegina occupata sperabant Corinthii se, incursione subita in Megaridem facta, aut Aeginetas obsidione liberaturos aut Athenienses oppressuros esse. Quae res ut aliter atque illi speraverant caderet senum Atheniensium virtute factum est, qui duce Myronida, Corinthios profligaverunt. [1]) Iuvenes igitur quodam modo e senibus facti erant iuvenile facinus edendo Atheniensibus ii, qui absente inventute hostes propulerant. Nunc arrige aures! Paullo post Ol. LXXXI. 1. [2]) Peliadas impetrato choro docuit Euripides „quae fabula in conatu restituendae seni iuventutis fere tota versabatur". Talem historiae et fabulae cognationem ipsi Euripidi, si forte revixerit, necopinatam fore credo et forsitan poeta acerrimo indagatori obiciat senes illos Athenienses integros e pugna, miserum Peliam contra frustatim ex aëno prodiisse. At plura nobis afferuntur. „Eodem anno quo primum in certamen „Euripides, non celato nomine, descendit Aeschylum e vita „decessisse proditum est memoriae. Quam ob rem hereditas

---

[1]) Thuc. I, 105, 106. — [2]) Teste Euripidis biogropho Ed. Dind. vs. 35 sqq.

„quasi *θρόνου τραγῳδικοῦ* deorum ipsorum voluntate a sene „ad iuvenem transferri videbatur neque dubito quin suam „quoque causam Euripides respexerit senis decrepiti in „iuvenem mutandi conatum repraesentando [1])." Quod detestabile omen profecto fuisset si Euripides primum suum certamen comparasset cum Peliadarum conatu misere ad irritum redacto. Num talis interpretatio viro, sana mente praedito, digna est? Fortasse non amplius tragoedias legimus sed aenigmata, quae nos admoneant ludi, qui pueris est in deliciis, quum iactabundus unus alteri dicit: video, video, quae tu non vides.

Uno tantum exemplo illustrare volo quam multis coniecturis, ingeniosis quidem sed incertis et dubiis, una tantum tragoedia materiem praebuerit. De anno quo Andromache in scenam producta sit non satis constat sed e flagranti odio, quo poeta Spartanos prosequitur apparet fabulam ante pacem, Nicia auctore restitutam (421), actam esse. Numeri enim huius fabulae, medium tenentes inter antiquam Euripidis severitatem et recentiorem negligentiam, hanc tragoediam belli Peloponnesiaci renovati tempori assignare recusant. [2]) Locum, quo vehementissime poeta Lacedaemonios sugillat,

---

[1]) Hartung *Eur. Rest.* I, 59, 60. — [2]) Quomodo numerorum conformatio ad singularum fabularum actionis tempus definiendum utilis esse possit docet Fixius *Chron fab. Eur.* pag. VIII.

iam supra [1]) tractavi et ostendi quam variis modis viri docti crimen crudelitatis Lacedaemoniis a poeta illatum ad ea, quae nobis ab historicis tradita sunt, referre conati sint. Zirndorferus [2]) tempus, quo fabula composita sit, satis certo nobis se probare posse existimat: Lacedaemonii enim Ol. LXXXIX. 1., induciis annuis cum Atheniensibus initis, nihilominus in Chersoneso Thracica, duce Brasida, multas civitates Atheniensium socias ut deficerent incitaverunt. Hinc in fabula, paullo post edita, eorum perfidiam, vafritiam, lucri cupiditatem insectatur poeta. Samuel Petitus [3]), Boeckhio [4]) assentiente, docet Menelai verba [5]) se Spartam abire ut adversus urbem quandam vicinam, quae amicitiam pristinam dissolvisset, bellum paret, non fictum bellum significase sed referenda esse ad Lacedaemoniorum in Argivos incursionem, quum Argivi Troezenios iniuria affecissent. [6]) Quae opinio si vera est huius fabulae in scenam commissio Ol. XC. 2., itaque quinque annis post tempus a Fixio constitutum, ponenda est. Utramque sententiam eodem iure impugnari et defendi posse credo. Chori illud „numquam duplex imperium praestare unius viri imperio" [7]) Niciae et Cleonis aemula studia aut aliam partium de dominatu contentionem spectare Fixius perhibet. Saepius hac in

---

[1]) Vide pag. 50. — [2]) l.l. pag. 45. — [3]) *Misc.* III, 16. — [4]) l.l. XV. [5]) Andr. 733. — [6]) Thuc. V, 58 sqq., VI, 7, cf. Diod. Sic. XII, 78. [7]) Andr. 471. sq.

fabula mos plures uxores habendi arguitur: „Tales nuptias ne apud nos introducas" Hermione dicit „neque enim honestum unum virum duarum feminarum habenas tenere. Quicumque rebus suis domesticis prospicit una uxore contentus sit"! [1]) Alibi eandem sententiam chorus profitetur: „numquam duplices lectos laudabo neque e diversis matribus liberos, unde lites tristesque calamitates familiis nascuntur." [2]) Hardionus [3]) haec verba quandam Periclis legem spectare putat, qua spuriis iura quaedam constituta sint. Mira et temeraria coniectura L. Racinius [4]) versus laudatos sic explicat: multis hominibus et bello et pestilentia absumtis nescio quo auctore legem quandam latam esse credit, qua caveretur ut ius duas uxores habendi Atheniensibus concessum foret, quo civium numerus, calamitatibus diminutus, denuo accresceret. Tragoedia igitur sua Euripidem huic legi obstrepere Racinius censet.

Nunc videamus quasnam partes clari poetarum aequales, in administratione reipublicae florentes, in fabulis egerint, vel potius quantas partes viris doctis iis tribuendas esse visum sit. Quamquam sexcenta eiusmodi proferre licet una Alcibiadis persona ad hanc rem illustrandam sufficiat.

Boeckhio [5]) si fidem habentes Euripidis Supplicum fabulam

---

[1]) Andr. 177 sqq. — [2]) Id. 465.
[3]) *Mémoires de l'Acd. des Belles Lettres t.* VIII pag. 264.
[4]) id. t. X pag. 311, sqq. — [5]) l.l. pag. 188.

Ol. LXXXIX, 4, vel tempori proximo tribuimus et observantes, quoties in hac eadem tragoedia iuvenes apud civitatem auctoritate multum valere dicantur, facile credimus non omnia quidem, attamen multa Alcibiadem spectare, quum constet Alcibiadem hoc tempore iuvenem rempublicam capessivisse. [1]) Difficultas vero magna nos tenet. Iuvenes enim modo dicuntur gloriae honorisque avidi omnia perturbantes, cives corrumpentes, lucri studio dediti, non considerantes an populus aliquid detrimenti capiat, ad iniusta bella cives excitare; [2]) modo Spartam Athenis non parem esse audimus, Athenas contra belli laborem sustenturas fore, quippe quae iuveni utantur rectore valido, quali duce carentes multas iam civitates periissent. [3]) At in una eademque fabula Euripidem Alcibiadem simul laudavisse et exagitavisse nullo pacto credere possum. Ultimos versus, quos attuli, quibus Euripides afflictos cives recreare iisque animos addere videtur, Alcibiadem spectare et poetae veram sententiam continere crediderim, partim quia fere ad verbum quadrant in rerum statum et conditionem in qua Athenienses, quo tempore fabula commissa videtur, versabantur, partim quia Euripides, quanto favore Alcibiadem amplexus esset, carmine ad illius victoriam equestrem celebrandam composito, nuper ostenderat. [4])

---

[1]) Boeckh. l.l. cf. Lebeau l.l. pag. 447.

[2]) Suppl. 160, 232 sqq., 509. — [3]) id. 188 sqq.

[4]) *Σὲ δ᾽ ἀείσομαι ὦ Κλεινίου παῖ κ.τ.λ.* vide ad Plut. Alc. 11.

In aliis quoque tragoediis Alcibiadem ipsum sub hac illave dramatis persona in scenam introductum esse viri docti perhibent. Hartungus Helenam Euripideam cum Alcibiade confert: utrique mira formae praestantia erat; uterque tum patriae tum suae patriae inimicis perniciem parabant; infamia atque invidia uterque insons flagrabat et patria exul potestate carebat criminum purgandorum. Helenae fabula igitur Hartungo conscripta esse videtur ut revocaretur Alcibiades eique diluendorum criminum copia fieret. Cui sententiae tamen ipse Hartungus contradicit. Coniecit enim Helenam, Andromedam, Electram ad eandam didascaliam pertinere, sed miro modo addit has feminas praestantes, virorum fortium virtute et inopinato adventu a malis et contumeliis liberatas, Atheniensium conditionem significare, quippe qui post cladem Siciliensem desiderio flagrassent egregii viri, qui eorum rem perditam restitueret. Equidem neque video neque intelligo quomodo eadem Helenae persona simul Alcibiadem, populi ducem exulantem, simul populum desperantem, mox sospitatum, representare possit.

Hartungo [1]) libenter adstipulamur simillimam esse causam Polynicis, in Euripidis Phoenissis, et Alcibiadis. Societate cum hostibus iuncta ingens patriae bellum uterque conflavit, uterque regnandi cupiditate et reditus desiderio flagrat. Attamen idcirco non affirmare ausim sub Polynice Alcibiadis personam latere. Quid enim? Polynicem concedo

[1]) l.l. II, 408.

exilium suum ita queri ut recentiorem Atheniensem loquentem audire crederemus; [1]) Alcibiadem quoque cum militibus suis de iniuria accepta conquestum esse, Thucydide auctore, [2]) novimus. Sed quisnam exul, occasione data, tales querimonias non fudisset? Quod Polynices queribundus non alio modo rem considerat quam poetae aequalis fecisset, omnino cum Euripidis consuetudine et arte convenit. Tristis deinde finis Polynicis satis nos monet ne, rebus quibusdam fortuitis inducti, poetam virum sibi devinctum Alcibiadem in scenam introducere voluisse putemus, cui certe meliorem quam Polynicis sortem, immatura morte perempti, exoptaverit. Benloewius [3]) perhibet Aiacis Sophoclei alteram partem, Alcibiade patria carente, conscriptam esse ut Salaminii, mortem sui ducis lugentes, Atheniensium maestitiam illustrissimi exulis causa exprimerent. Neque mihi Schoellius aliique, Alcibiadem in Philocteta reperire existimantes, sententiam suam probaverunt. Fabula quidem Sophoclea Ol. XLII, 3, acta est paullo postquam Alcibiades restitutus, victoria apud Cyzicum reportata, de patria sua optime meritus erat, sed praeter hanc fortuitam similitudinem nullum vestigium in Sophoclea fabula reperimus cur credamus poetam sub eadem persona Philoctetae mala et Alcibiadis restitutionem repraesentare voluisse. Adversus Schoellium

---

[1]) Vide pag. 17. — [2]) Thuc. VIII, 8.
[3]) *De Sophocleae dictionis proprietate cet.* pag. 70.

aliosque talium argutiarum indagatores nimis urgeri nequit hoc argumentum, Sophoclis poeseos ingenium simplex, altum, magnificum abhoruisse a multis artibus, quibus Euripides usus sit, ut auditorum animos sibi devinciat.

Aliud exemplum proferam, quod nobis imprimis ostendere potest quam lubrica et dubia sit rerum tam absconditarum indagatio. Similitudinem inter Oedipum Regem et Periclem permulti [1]) animadverterunt. Quo se commendet habet revera Hermanni sententia. Ob scelus enim suum Oedipus, ob scelus illud Cylonium, a maioribus suis perpetratum, Pericles diis invisi sunt eorumque cives morbo pestifero vexantur. Oedipus et Pericles sapientiae laude florentes, populis suis opitulantes, oraculorum et rerum divinarum erant contemptores. Accedit quod superstitiosi Athenienses Alcmeonidarum crimen, oblivione prope iam oblitteratum, a Lacedaemoniis nuper denuo Pericli exprobatum, ruminabantur ipso tempore, quo fabula fortasse acta est, de quo tempore tamen nihil certi constat. Quam utriusque viri similitudinem Schoellius fulcire et augere conatur criminatione allata, qua, teste Plutarcho, [3]) in Periclem eius adversarii usi sunt: patrem cum filii Xanthippi uxore rem ha-

---

[1]) Lebeau jeune *Mém de l'Acad.* XXXV.

[2]) C. F. Hermann *Quaestiones Oedipodeae*; Bode *Histoire de la poesie Grecque* pg. 400; Schoel l.l. pag. 169; Lachmann in *Niehburii Mus. Rhen.* pg. 303. — [3]) Plut. Pericl. 13, 36.

buisse. Schoellio igitur non minus quam Hermanno persuasum est sub Oedipi persona Periclem delitescere. Quae consensio tamen non impedit quominus in hac disquisitione in diversas partes abeant; Hermannus enim ad Periclem vituperandum et criminandum, Schoellius ad eundem virum laudandum et commendandum fabulam conscriptam esse putat. Si Hermanno fidem habeas illud „superbia gignit tyrannum", [1]) illa dira imprecatio „si quis dictis aut factis impius incedit deos non colens eum malum fatum corripiat" [2]) ad populi ducem, ad Anaxagorae discipulum referenda esse existimes et totam fabulam fictam, ne Athenienses Periclis consilia sequentes culpae, qua ipse premeretur, contagione inficerentur. Quam prorsus aliter de eadem tragoedia censet Schoellius! Sophocleae solitae ironiae rationem habendam esse: vana ista crimina, quibus Oedipum Thebani insumulent, integrum et culpa vacuum esse Oedipum: Periclem igitur non minus iniquo modo ab Atheniensibus exagitatum esse. Quod ad Schoellii sententiam attinet Oedipi indolem virum doctum non recte perspexisse nemo negabit. Neque parricidium inconsulte perpetratum, neque incestum ab imprudenti commissum Oedipo vitio vertit poeta, sed *τὸ μὴ κατ᾽ ἄνθρωπον φρονεῖν* Oedipum sontem et coecum reddit et perdit. Hermannus autem Ol. LXXXVII, 3. fabulam actam esse docet, sed parum credibile existimo opus tam

---

[1]) O. R. 873. — [2]) id. 883.

elaboratum, tam ad digitum factum, conscriptum, doctum, actum esse intra unius anni spatium, quod tamen credamus necesse est, si tragoedia acta est post morbum exortum et ante Periclis mortem. Post Periclis obitum non facile memoriam talis viri poeta comis et humanus splendida foedasset tragoedia, quae ita potius carmen probrosum fuisset. Schoellius porro parum sibi constare videtur. Caveamus ne in labyrinthum duci patiamur! Oedipum enim irae indulgentem, ad suspiciones proclivem, veram Atheniensium vitiorum imaginem reddere iudicat. Num eadem persona et rei insontis et iniusti accusatoris partes egisse nobis credenda est?

Non tantum quae ad singulas res gestas singulasque personas pertinent, sed totius politicae rationis Atheniensium imaginem in plurimis tragoediis reperimus. Athenae semper asylum fuerunt miseris et infirmis et semper haec civitas ope destitutos in causa iusta iuvare parata fuit [1]), quam clementiam eorum adversarii audaciam, cum publica prudentia parum congruentem [2]), ipsi Athenienses generosam et sibi utilem virtutem esse credebant. Adversariorum sententiam respicere videtur praeco Thebanus apud Euripidem Theseum de supplicum septem filiorum sepultura obiurgans hisce verbis „Multa curiose agere soletis tu

[1]) Eur. Suppl. 329.

[2]) Cf. Isocr. Paneg.; Suidas i. v. Ἀθηναίων δυσβουλία.

et tua civitas" [1]) et planius Aethra, filium adhortans ut mortuis et miseris mulieribus opem ferat, dicit „deridetur tua patria tamquam imprudens, sed torvum adspicit derisores suos, nam in laboribus crescit" [2]). Item vir pessimus Copreus patrocinium, ab Heraclidis rogatum, Demophonti et Atticam inhabitantibus dissuadet ne, quum possint potentiores amicos sibi adiungere, more suo imbelles assumant [3]). Haec clementia an calliditas politica in plurimis fabulis repraesentatur et commendatur. Heraclidae tutelam, Septem illi exsequias, Medea perfugium, Orestes absolutionem, Oedipus quietem Athenis reperiunt.

Etiam quinam Atheniensium civitatis socii et hostes fuerint tragoediae nos docent. Foedus initum inter Athenienses et Argivos Ol. LXXX, 3 [4]), Aeschylus in Orestea celebravit. Orestes ipse Argivus fidem et aeternam Argivorum amicitiam Minervae, Atheniensium deae tutelari, cuius auxilium implorat, pollicetur [5]), quae promissa pro cliente suo ab Apolline repetita [6]), iure iurando Orestes confirmat [7]). In Oedipo Colonaeo quoque Argivorum rex amicitiam et societatem affert, inimicitiae contra inter Thebanos et Athenienses fabulae argumenti efficiunt partem aliasque futuras Oedipus vaticinatur [8]). Nemo, his fabulis lectis, dubitat quin ad respublicas spectent et quid

---

[1]) Eur. Suppl. 576. — [2]) id. 321 sqq. — [3]) Heracl. 176 sqq.
[4]) Diod. Sic. XI, 80. — [5]) Eum. 289. — [6]) id. 669.
[7]) id. 762. — [8]) O. C. 605.

poeta sibi proposuerit inter omnes constat: de ipso tamen tempore, quo fabulae actae sint, viri docti litigant. Oedipum Colonaeum, ut exemplum afferam, Reisigius [1]) Ol. LXXXVII anno 2 vel 3, Lachmanno [2]) Schoellioque adstipulantibus, Boeckhius [3]) contra Sueverniusque [4]) Ol. LXXXIX exeunti vel ineunti XC assignarunt. Supplices in cognominis fabulae argumento Graeco legimus actas esse Ol. XC, 3, quum Argivi et Lacedaemonii, legatis missis, de foedere agerent; Boeckhius [5]) tamen et Zirndorferus [6]) Ol. LXXXIX, 4, eandem fabulam tribuunt, quo tempore Athenienses cum Argivis foedus pacti sunt [7]). Alii, locorum indiciis expositis argumentisque allatis, alias proposuerunt sententias [8]). Heraclidarum fabulam Ol. XC fictam esse post foedum ruptum e conviciis in Argivos iactis suspicatur Boeckhius [9]); Fixius [10]) autem finem fabulae respiciens, ubi aliquam Lacedaemoniorum inruptionem Eurystheus periturus praedicit, Heraclidas circa Ol. LXXXIV scriptos esse censet.

Itaque etiam hac in re, quum poeta omnem dubitationem tollat quorsum fabula pertineat, ariolari tantum nobis licet de tempore definiendo, nisi ubi veteres ipsi certi aliquid memoriae tradiderunt.

---

1) Reisigius: *Enarratio Oedip. Colon.* — 2) l.l. pag. 313.
3) Boeckhius: *Prooem. ind. lectt. Berol. aest.* 1826.
4) *Act. Acad. Berol.* 1828, pag. 15.
5) *Graec. trag. Princ.* pag. 187 sqq. — 6) l.l. pag. 49 sqq.
7) Thucd. V, 46. — 8) Vide apud Fix. l.l. pag. IX.
9) l.l. pag. 190 sq. — 10) l.l. pag. VIII.

CAPUT VII.

DE RELIGIONE.

Perpauca admoniturus sum de religionis cultusque deorum statu apud tragicos, prisci et ingenui antiquioris aevi mores indolemque neglegentes.

Heroicae aetatis simplicitas deos mortalibus similes fingens homines a religiosis subtilitatibus et obscuris caerimoniis prohibebat, quare nulla a r c a n a et m y s t e r i a apud Homerum memorantur, quae, me iudice, tantum inveniri possunt apud populum eruditum et excultum, quum ingenio prompti et subtiliores homines, non amplius contenti plebis superstitione, ad altiora tendunt et religionis symbola explanandi praecepta anquirunt. Sacerdotes porro in civitate, in qua ordinem quemdam faciunt et auctoritate apud multitudinem multum valere conantur, gravitatem suam servare et augere student arcana religione, cuius veram significationem paucis tantum initiatis aperiunt. Itaque cum in Oriente tum in Aegypto, ubi sacerdotum ordo maximi momenti

erat, fons et origo multorum arcanorum nobis quaerenda est; cui sententiae assentiri videtur, Herodoto praeeunte, Euripides, quum Baccharum chorus Bromium flagitat ut se in Aegyptum ducat, „illic enim Bacchis fas est orgia celebrare". [1]) Non miramur igitur apud Homerum nulla vestigia sacrorum et caerimoniarum, quibus adesse paucis tantum liceat, inveniri neque locorum mentionem quae calcare sit nefas. Apud posteriores scriptores et tragicos frequentior est horum omnium commemoratio. Colonis Furiis sacer locus, [2]) prope Thebas in montibus Bacchi sacellum, [3]) et locus Iovis fulmine percussus inveniuntur, quae loca omnia inaccessa dicuntur. Inter caerimonias autem, quae ritu arcano celebrababantur, sunt omnia sacrificia lustralia. Dianae igitur signum una cum captivis se lustraturam et expiaturam esse simulans Iphigenia, omnibus profanis remotis, mare adit; Aiaci quoque solitudine opus est et eius uxor comitesque solum eum abire patiuntur ut, lavacris lustralibus adhibitis, Minervae iram effugeret. Eodem modo Oedipi morti nemo adest, quia mors se Eumenidibus devoventis facinorum, inconsulte perpetratorum, expiatio est.

His caerimoniis maioris momenti sunt arcana, quae non ad hunc illumve privatim pertinent, sed quorum plurimi fiunt participes. Duplex talium sacrorum genus distinguimus:

---

[1]) Bacch. 403 sqq. — [2]) O. C. 37, 126, et passim.
[3]) Phoen. 1752 Cf. O. C. 675.

unum, quum spiritu divino tacti, lymphati furerent et baccharentur, alterum, quum peculiari ritu initiati arcanis interessent. Quod deorum, his in mysteriis celebratorum, nomina apud antiquiores poetas aut prorsus absunt, ut Bromius, Iacchus, Bacchus, Core alii, aut obiter tantum memorantur, ut Dionysus et Demeter, heroica aetate posteriorem esse huius ritus originem probat.

Omnium notissima sunt Sacra Eleusinia in Cereris eiusque filiae Proserpinae templo. [1]) Quorum origo, quantumvis antiqua fuerit, tamen non verisimile est omnes horum ritus totumque modum, quo celebrabantur, per tot saecula eosdem fuisse. Quaecumque tragici de mysteriis tradiderunt, apud priscae aetatis scriptores frustra quaesita, apud tragicorum aequales omnia reperimus, unde haud dubitanter affirmem hac quoque in re tragicos sua tempora secutos esse, non investigantes numquid inter antiquiores et recentiores ritus interfuerit. Mysteria vicesimo mensis die, quo Iacchum solemni pompa Athenienses Eleusina ducerent, celebrata fuisse audimus. [2]) Initiatis (*τοῖς μεμνημένοις*) prioris ordinis, multis laboribus perfunctis, tandem sanctissima et augustissima oculis usurpare licebat. Hinc castus Hippolytus, initiatus iam ante, profectus esse dicitur ut viseret veneranda mysteria (*ἐς ὄψιν καὶ τέλη σεμνῶν μυστηρίων.* [3]) Post

---

[1]) Eur. Suppl. 30. — [2]) Ion 1076.
[3]) Hipp. 25 Cf. Plato Symp. 209. *τὰ τέλεα καὶ ἐποπτικά.*

mortem in Orco initiati summae beatitudinis participes fore putabantur, quare Sophocles ter beatos praedicat, qui, his initiis conspectis, ad inferos descendant, quibus solis ibi vivere liceat [1]); Hercules igitur, postquam Cerberum in lucem eduxit, mystarum sacra se in Orco vidisse affirmat. [2])

Initiatis silentium servare iussis pauca, quae ad mysteria attinent, divulgata sunt. Nihilominus interdum vestigia nonnulla *τοῦ μυστικοῦ λόγου* in tragoediis deprehendimus. Ubi Iacchus „astrorum chori dux (*πυρπνεόντων χοράγ᾽ ἄστρων*) invocatur [3]) Scholiastes mystarum sermonem delitescere docet; astra igitur taedas ardentes, quae in pervigiliis Eleusiniorum sacrorum iactabantur, significant. Caerimoniis perfuncti initiati felices se praedicabant, *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον* canentes, [4]) cui formulae Baccharum Chorus alludere videtur: „beatus ille qui maris fluctus effugit et attigit portum; beatus etiam qui labores superavit." [5]) In eadem fabula [6]) Tiresias demonstrat, cur Ceres et Semeles filius hominibus *δύο τὰ πρῶτα* sint, et ita hoc facit ut conicere non absurdum sit hoc loco mysticae doctrinae partem nobis expositam esse.

Mysteria ne enuntiarent initiatis praeceptum erat, cui *μυστικῇ σιωπῇ* in formula *τὰ δ᾽ ἄλλα σιγῶ* [7]) fortasse alluditur; Eumolpidarum enim antistitum aurea clavis

---

[1]) Soph. fragm. 719. — [2]) Herc. Fur. 613, cf. Schol. Arist. Ran. 158.
[3]) Ant. 1147. — [4]) Dem. Cor. § 259. — [5]) Bacch. 902 sqq.
[6]) Id. 274. — [7]) Ag. 36, I. T. 36.

mystis taciturnitatem imponebat. [1]) Interdum vero poetas mystarum sermone in scena usos esse id, quod de Aeschylo narratur, prodere videtur. Hic enim mysteriis initiatus quibusdam fabulis, [2]) quae aetatem non tulerunt, talia dicitur intexuisse ut sacrilegii accusatus vix fratris Aminiae gratia sit absolutus. [3])

Levissima tantum indicia Dionysi protervi cultus semel apud Homerum [4]) invenimus. Apud tragicos vero, in eiusdem dei honorem tragoedias edentes, praecipuum locum Bacchum tenere non miramur. Quin tota divina, quae Bacchae inscribitur, Euripidis tragoedia, e multis una quae maxime olim auditorum hodieque lectorum animos moveat, in Bacchi cultu versatur. Coetum bacchantium, pellibus indutum, hedera redimitum, thyrsum iactantem videmus, furorem bacchicum exardescere, vaccas vitulosque manibus discerpi, multaque alia miracula accidere audimus. Quo plures orbis terrarum regiones pernotuerant eo longius Bacchum peregrinantem fabulae fingunt et quo magis eius cultus cum Orientalibus orgiis coniungitur eo lasciviora eius festa, eoque frequentior comitum numerus. Apud Homerum deus, nutricibus tantum comitantibus,

---

[1]) O. C. 1051.

[2]) Eustratius ad Arist. Eth. Nicom. III. 1. *Τοξοτίδας*, *Ἱερείας*, *Σίσυφον* et *Ἰφιγένειαν* has fabulas fuisse tradit.

[3]) Ael. Var. hist. V, 19. — [4]) Il. VI, 130.

in Thraciam veniens contumeliose fugatur; deum triumphantem, mysteria et orgia celebrantem, fere omnem orbem terrarum cognitum, a Lydia et Phrygia proficientem, Persidem, Bactrianam, Mediam, Arabiam, Ioniam [1]) pervagantem, a magno Maenadum strepenti et clamoso thiaso stipatum apud tragicos invenimus. Apud Homerum Dionysus quidem invenitur, sed nullo cognomine praeditus, nec usquam templum ei dedicatum, nec cultus ei tributus memoratur. Dionysi, cuius cognomen Bacchus apud nullum scriptorem ante Herodotum legimus, orgiorum originem in Thracia, Lydia et Phrygia quaerendam esse inter omnes constat [2]). Aetatem tamen, qua Bacchanalia in Graeciam pervaserint et illa antiquiora mysteria Eleusinia nonnulla ex hoc cultu assumpserint ita ut Cereris et Bacchi religio coniuncta sit, nescimus, sed post heroicam aetatem hoc factum esse satis liquet.

Arcte cum Bacchi orgiis cohaerebat poesis et doctrina illa, quae fabuloso Orpheo tribui solebat, quare Dionysi mysteria Orpheus invenisse traditur [3]) et Dionysi orgia Orphica et ipsa vocabantur [4]). Licet Orpheum numquam exstitisse iam Aristoteles doceat [5]), plurima tamen scripta ei antiquitus tribuebantur quorum auctores fuerunt

[1]) Bacch. 16 sqq. [2]) Cf. Preller, *Gr. Mythl.* ed. 3. pg. 546.
[3]) Apollod. I. 3. 2. — [4]) Diod. III, 64.
[5]) Vide apud Cic. N. D. I, 38, 107.

Pythagoraei, qui, post Sybarim deletam ex Magna Graecia a plebe pulsi, ad Orphicorum disciplinam se applicaverant [1]). Tum mos invaluit libros divinationes et incantationes continentes colligendi et Orpheo tribuendi, quorum librorum copia iam Platoni ridendi praebebat materiam. [2]) Euripides quoque Orphicos vel potius Pythagoraeos parvi facere et despicere videtur; Theseus enim filio suo convicia ingerens, quem novercae corruptorem pietatis simulatorem credat, dicit: „iam gloriare, iam inanimis cibis te alens alios ludificare, Orpheumque magistrum, vanamque eius doctrinam (*πολλῶν γραμμάτων καπνούς*) colens bacchare"! [3]) Quibus verbis Euripidem Pythagoraeos spectasse iam monuit Scholiastes [4]). Magicam porro artem et divinationem cum Orphicis [5]) tum Pythagoraeis [6]) propriam fuisse constat. Hinc intelligimus et in Alcestidis fabula chori querelam, se nullum remedium contra Necessitatem invenisse in tabulis, quas Orpheus conscripserit [7]), et satyrorum chori iactantiam, se Orphei incantationem valde bonam scire, cuius ope fiat ut sua sponte torris oculum Cyclopis in cendat, [8]) et Theseum filium suum incantatorem praesti-

---

[1]) Muller *Gr. Lit.* I, 424 sqq. — [2]) Plat. Rep. II, pg. 364.

[3]) Hipp. 952.

[4]) Schol. *ἐπεὶ γὰρ ἔνδοξος ἦν ὁ Πυθαγόρας, ἤδη καὶ πολλοὶ ἀψύχων ἀπείχοντο· ἀνάγει δὲ τοὺς χρόνους, περὶ αὐτοῦ γὰρ αἰνίξασθαι βούλεται ὁ Εὐριπίδης· τοιοῦτος δέ ἐστιν ἀεὶ τὰ ἡρωικὰ πρόσωπα εἰσάγων.* — [5]) Lobeck, *Aglaophamus* I, 242. — [6]) Cic. Div. I, 3.

[7]) Alc. 966 sqq. — [8]) Cycl. 646.

giatoremque contumeliose vocantem [1]). Orphicos et Pythagoraeos carne et caede animalium abstinuisse Euripides ostendit cum in Hippolyti persona [2]) tum in fragmento quodam ubi accuratius illorum mores describit [3]).

Quomodo Orphicorum aliorumque divinatio in contemptum venerit huius artis progressus docent. Apud Homerum *μάντεις*, quippe qui divinitus furant, maximo honore fruuntur. Nec mirum est, quum rerum futurarum caliginem dissipare hominibus viderentur divino spiritu afflati, nullaque re nisi avium volatu adiuti. Posteri vero humana divinis miscentes ipsi modum excogitabant, quo *τὰ ἐν γούνασι θεῶν κείμενα* sciscitarentur vulgoque interpretarentur, quo tamen factum est ut avaris vatibus via fraudis patefacta sit et proinde omnia in dubium vocarent imperiti.

Apud Homerum nulla certa vestigia exstant, quae nobis persuadere possint extispicium et divinationem ex igne iam in usu tunc fuisse. Scio quidem Scholiastas docere: *ἱερεῖς, οἱ διὰ σπλάγχνων μαντευόμενοι* et *θυοσκόοι, οἱ διὰ τῶν ἐπιθυμιωμένων μαντευόμενοι*, sed argumentis, e poeta ipso petitis, interpretationem fulcire nequeunt. Rem magnam vel periculosam suscepturi saepe heroes sacra faciunt ut deorum favorem sibi concilient sed numquam ut rei

---

[1]) Hipp. 1038. — [2]) id. 952. — [3]) Eur. Fragm. 475.

eventum ariolentur, neque secundo sacrificio eos incitatos vel infausto absterritos esse legimus. Adstipulamur igitur Lobeckio de Leode, θυοσκόῳ, inter procos ab Ulixe interfecto, affirmanti: „nullam rerum futurarum scientiam habuisse valentissimum argumentum est, quod neque suam neque amicorum sortem non modo praevidit sed ne explorare quidem per exta conatus est" [1]). Nihilominus in tragoediis utriusque divinationis genus invenimus, quod homines a Prometheo didicisse fingit Aeschylus [2]), et Theseus inter bona, quae dei hominibus largiti sunt, enumerat [3]) quod ignota et minus perspicua praedici possent. Ita in rebus adversis [4]) imprimis ante proelium initum [5]) vates hostiarum exta inspicit vel flammas in ara consulit. Minutius mala omina cum in extispicio tum in divinatione ex igne describuntur: iecinoris caput quod intestinis deest, hepatis faucium et bilis receptaculi insolitus situs Eurystheo mala portendunt; [6]) similiter Tiresias tristia quaedam inde praesagit quod flamma non promicet, adeps liquefactus cum cinere misceatur, fumet, dispergatur et fel dissipetur. [7]) Alia alibi invenies. [8])

Haruspices et sortilegi apud recentiores lucri studio saepe dediti, facile ad credendum impulsae multitudini maria et montes pollicentes, auctoritate sua abutebantur et simu-

---

1) Lobeck, *Aglaoph.* 268. cf. Nägelsbach, *Hom. Theol.* V, 19.
2) Prom. 493 sqq. — 3) Eur. Suppl. 211. — 4) I. T. 16.
5) Heracl. 340, 399, 673; Eur. Suppl. 155 sqq. — 6) Eur. El. 826.
7) Ant. 1005. — 8) Phoen. 1255, Soph. fragm. 462 c, Ag. 140.

latam sapientiam ad finem politicum, sua ipsorum commoda spectantes, adhibebant. Inde quisquis erat paullo perspicacior ac prudentior nullam istis ariolis fidem habebat et mox ipsum quoque vulgus magnis exspectationibus falsum, fatidicorum oraculis coepit diffidere. Talis suspicionis vestigia in tragoediis quoque videmus. Totum genus vatum ambitiosum malum, [1]) pecuniae avidum, [2]) mercedem captans [3]) esse audimus: quare vates pauca vera inter multa falsa dicunt. [4]) Tiresias ariolus ipse stultum esse profitetur qui divinandi arte utatur; falsa enim saepius praedicunt vates deorum iura violantes, quum eos misereat consulentium; Apollinem igitur solum oportebat oracula canere quippe qui neminem timeat. [5]) Vehementissime vero perstringuntur fatidici in Helena Euripidea: nihil sinceri est in ignis flamma, quid ergo vates consulimus? dis sacrificantes *bona ab iis petere* oportet — Socraticam disciplinam his in verbis animadverte! — et vaticinia omittere. Vana sunt illa inventa et nemo sibi divitias collegit sine labore. Prudentia enim bonumque consilium optimus vates est. [6]) Cui sententiae chorus, poetae vicarius, respondet „idem ego quoque sentio de vatibus." Propter haec convicia vatibus facta, utramque Iphigeniam scriptam esse post cladem in Sicilia acceptam Fixius putat. Hoc enim hominum genus oracula colligentes, ut Thucydides narrat, [7]) ab ineunte

---

[1]) I. A. 520. — [2]) Ant. 1055. — [3]) Bacch. 257. — [4]) I. A. 956.
[5]) Phoen. 954 sqq. — [6]) Hel. 746 sqq. — [7]) Thucyd. II, 21 cf. 54.

bello Peloponnesiaco falsam spem plebi credulae ostenderant; sed postquam Sicula calamitate populi spes ad irritum redacta erat vehementer Athenienses vanis ariolis irascebantur. [1]) Quae opinio si vera est acerbissime credulitatem Atheniensium poeta his verbis reprehendit: haec una res acriter pungit, si quis, quamvis ipse consilii non sit expers, vatum monitis obtemperans periit. [2])

Quod ad recentiorem morem attinet veterum oraculorum ante bellum colligendorum de hoc quoque in tragoediis fit mentio: bello enim ab Adrasto Thebis illato vates oracula declamant [3]) et Theseus Heraclidas bello iuvaturus omnibus oraculorum vatibus congregatis explorat publica quaeque et arcana vetera oracula, in quibus Atticae salus portendatur et victoria. [4])

---

[1]) Thucd. VIII, 1. — [2]) I. T. 573. — [3]) Eur. Suppl. 229 sqq.
[4]) Heracl. 403. sqq.

CAPUT VIII.

DE NOTIONIBUS ETHICIS.

Temporibus mutatis philosophia, cum quae initiorum causarumque cuiusque rei cognitioni operam dat, tum quae de hominum vita et moribus disputat, immutata est. Qua in re tragici, non tantum ut delectent sed etiam spectatoribus ut prosint nitentes, posteriorum disciplinam secuti sunt.

Tragoedias igitur lectitantes nobilia quaedam dicta iam olim ab aliis sapientibus, poetis, philosophis edita identidem invenimus, quae praecepta tragici, quum ipsi divite vena pollerent, ita admirabantur ut in omnium memoria ea manere voluerint. Praeterea verba sententiasque, quae in omnium ore sint, semel iterumque audire auditoribus semper gratum esse poetae oratoresque omnium aetatum intellexerunt, quapropter egregiis dictis aliorum sermones et poemata sua exornare solent. Tragici vero huic mori indulgentes saepenumero hominum, qui multo post Homerum

floruerunt, memoriam renovantes hoc quoque modo recentioris aetatis colorem fabulis suis inducebant.

Non semper autem furtim aliorum sententias in fabulas transferunt sed saepius se proverbia vel dicta ab aliis sumpta laudare profitentur,[1]) et praesertim, quum dramatis personae se perantiquam [2]) sententiam afferre dicunt, fabulae argumento recentioris poetae persona prodit. Quid enim revera de talium dictorum vetustate nobis credendum sit satis clare apparet miris vel, ut verius dicam, ineptis grandaevi Amphitryonis Euripidei verbis: „vetus est quaedam" inquit [3]) „apud Thebanos fama olim huius urbis dominum fuisse Lycum quemdam." Mox tamen eiusdem Lyci filius in flore aetatis in scenam prodit; cuius pater ergo Amphitryonis aequalis fuit. Illud *γέρων λόγος* igitur, inepte dictum quod ad fabulam ipsam attinet, sola scriptoris et spectatorum tempora respicit.

Multo plura autem proverbia aliorumque claras sententias in tragicorum fabulis latere quam hodie viri docti eruere possint facile est ad demonstrandum. „Hostium dona emolumentum non afferunt" Medea exclamat,[4]) quam sententiam proverbii locum obtinuisse nemo contenderet nisi Sophocles [5]) eidem sententiae allatae addidisset haec verba proverbio increbuisse. Idem valet ubi semel apud Aeschylum [6])

---

[1]) Ag. 264, O. C. 139, Eur. fragm. 223, 664.
[2]) Cho. 313, Ag. 750, Phoen. 438, Eur. fragm. 25, 344, 511.
[3]) Herc. Fur. 26. — [4]) Med. 618. — [5]) Ai. 664. — [6]) Ag. 1668.

et bis apud Euripidem [1]) eandem sententiam „spem exules alere", iisdem paene verbis enuntiatam, invenimus, cui sententiae Euripidea Iocaste addit „ut dici solet." „Omnia necessitati parere" in Helenae fabula legimus, [2]) qualis sententia licet cuivis in mentem venire possit, Euripidem tamen nescio cuius antiquioris poetae vocem respicere existimo ob haec verba sententiae praemissa: „dictum non est meum sed cuiusdam sapientis." Simonideum fortasse versum *ἀνάγκῃ δ᾽οὐδὲ θεοὶ μάχονται* [3]) imitatus est.

Unicuique eorum, qui vulgo septem sapientes appellantur, sententiam quamdam peculiarem in ore fuisse, quae singulorum sapientiae quasi fundamentum fuerit, veteres tradunt. Bianti vulgo attribuitur illud *μηδὲν ἄγαν*, de cuius tamen vero auctore dubitatur. [4]) Phaedrae autem nutrix, ut saepe Euripideae personae mediocritatem et modestiam praedicant, illud „ne quid nimis" laudat. [5]) Aliud eiusdem sapientis *δεῖ φιλεῖν ὡς μισήσοντας καί μισεῖν ὡς φιλήσοντας* Aristoteles [6]) nobis servavit, quod praeceptum, si Diogenem Laertem [7]) audimus, Bias illustrare solebat additis verbis *οἱ γὰρ πλεῖστοι κακοί.* Utramque autem sententiam suam facit Aiax Sophocleus. [8]) Chilonis sententiam notissimam *ἐγγύα ·πάρα δ᾽ἄτα* in Delphico templo

[1]) Phoen. 396, El. 352. — [2]) Hel. 514.
[3]) Sim. fragm. 5 vs. 21. ed Bergk., cf. Soph. fragm. 234. b.
[4]) Anthol. II, 48: *μηδὲν ἄγαν τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὁ σοφώτατος εἶπεν.*
[5]) Hipp. 265. — [6]) Arist Rhet. 2, 13. — [7]) Diog. Laert. I, 87, 6.
[8]) Ai. 678.

inscriptam fuisse Euripidis fragmentum [1]) nos docet. Aliud eiusdem Chilonis affert Stobaeus [2]) *μὴ ἐπιθύμει ἀδύνατα* quam proverbio consimilem sententiam apud tragicos reperimus in quibusdam locutionibus, ut *ἀδυνάτων ἐρᾶν* aut *ἀδύνατα θηρᾶν* [3]) quae Zenobius Suidasque in proverbiorum numero habent. Nescio cuius sapientis sententia *ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσιν* adumbrata invenitur apud Sophoclem, [4]) ubi Scholiastes alios hanc sententiam Chiloni alios Bianti attribuere docet. Pittaci dictum *τὴν καθ' ἑαυτὸν ἔλαυνε* Aeschyleum chorum [5]) respicere Scholiasten non fefellit. „Sapiens" ita enim Oceanidae canunt, „vere sapiens fuit, is qui primus docuit longe praestare uxorem paris conditionis ducere." Nulla tamen veterum sententia apud tragicos toties repetitur quoties illud Solonis neminem ante mortem beatum esse. [6]) Aliud Solonis apud Diogenem Laertem [7]) legitur: *ἄρχε πρῶτον μαθὼν ἄρχεσθαι*, quorum verborum memor Creon Sophocleus [8]) filio suo praecipit neminem bonum civem nec magistratum esse posse nisi qui alieno imperio parere didicerit. Quo eodem loco verbo tenus (alibique paucis mutatis, [9]) invenimus tertium Solonis [10]) dictum: *ἀρχῶν ἄκουε καὶ δίκαια κἄδικα.*

---

[1]) Eur. fragm. 915. — [2]) Stob. Flor. III, 79. γ.

[3]) Ant. 82, Hel. 811, Heracl. 318. — [4]) Ant. 177. — [5]) Prom. 887.

[6]) Ag. 923 sq., Trach. init. O. R. 1528 sq., Soph. fragm. 572 cf. 583.

[7]) Diog. Laert. I, 2. 12. — [8]) Ant. 667 cf. 669.

[9]) Ant. 63 cf. Ai 668. Schol. ad. Cho. 75 affert *δοῦλε δεσποτῶν ἄκουε καὶ δίκαια κἄδικα.* — [10]) Solon. fragm. 30 ed. Bergk.

Theognidis auctoritatem multum apud posteros valuisse e plurimis tragoediarum locis apparet. Dictum eius „neminem sine deorum numine beatum aut miserum esse", [1]) matronarum chorus in Heraclidis profitetur. [2]) Agamemnonis regiae custos Aeschyleus semet ipsum ad silentium compellit his verbis: [3]) *βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβηκεν*, quod eodem redit ac *κλῄς ἐπὶ γλώσσῃ*, de quo supra [4]) iam egimus, quam *bovis* imaginem, quum in Theognidis [5]) quoque reliquiis occurrat, primum usurpasse Pythagoram Philostratus [6]) pro nobis respondeat. Similiter apud omnes pervulgatum erat canticum quod, quum Harmoniae nuptiis interessent, Musae et Gratiae, Theognide auctore, [7]) cecinere; cuius carminis verba *quod pulchrum idem dulce esse* ita vere Graecum animum et ingenium spirant ut, ab Euripide in Bacchis [8]) repetita, ingenti cum plausu accepta fuisse existimem. Eiusdem poetae [9]) vocem Sophocleus Haemon [10]) refert: „qui solus sapere sibi videtur" inquit „revera sapientia caret". Totam ille suam orationem Haemon ornare videtur locis communibus, quales cuique iuveni Atheniensi, qui in scholis poetis operam dedisset, innotuerant. Hesiodeis [11]) enim verbis consimile sonat quod dicit „unumquemque a bene consulentibus discere oportere". [12])

---

[1]) Theogn. 165. — [2]) Heracl. 608. — [3]) Ag. 36. — [4]) v. pag. 65.
[5]) Theogn. 815. — [6]) Vide vit. Apoll. VI,11, 3. — [7]) Theogn. 15 sqq.
[8]) Bacch. 881, 901. — [9]) Theogn. 221. — [10]) Ant. 707.
[11]) Hesiod. Op. 293. — [12]) Ant. 722.

Aesopi [1]) denique fabulam audire nobis videmur, ubi eundem iuvenem dicentem facit poeta eas arbores, quae tempestati cedant, servari, quae contra procellae resistere conentur stirpitus interire. [2])

Quum sponsus sponsave ante nuptias obiissent, „Plutonis" vel „Proserpinae domus", thalamus dictus est a Sappho [3]) et Simonide, [4]) quod imitatus est Sophocles [5]) in Antigone sua, aliamque Simonideam sententiam [6]) in eadem fabula suam facit lepidus ille nuntius: „vitam sine gaudio nullius esse pretii". [7])

Athenis nemo philosophiam docuit ante Anaxagoram Clazomenium, quo Euripides magistro usus esse traditur. Illius doctrina, alte in cordatiorum hominum pectora descendens, antiquae religionis tenacibus non huic tantum sed etiam moribus funesta visa est, quare praeclarus philosophus, impietatis accusatus, vix Periclis auctoritate neci ereptus est. Ut igitur carum magistrum a talibus accusationibus defenderet discipulum eius placita fabulis suis intexuisse, quin etiam totam fabulam scripsisse, qua Anaxagorae disciplinam cum auditoribus communicaret, veteres tradunt. [8]) Menalippe Sapiens, hanc enim fabulam volo,

---

[1]) *κάλαμοι καὶ δρῦς*, Babrius 36. — [2]) Ant. 712.
[3]) Sappho Epigr. 119 ed. Bergk. 1866. — [4]) Sim. fr. 124. vs. 4 ibidem.
[5]) Ant. 804. — [6]) Sim. fragm. 71. ibidem — [7]) Ant. 1165.
[8]) Suid. i. v. *Εὐριπίδης· ἐπὶ τραγῳδίαν δ᾽ ἐτράπη, τὸν Ἀναξαγόραν ἰδὼν ὑποστάντα κινδὺνους, δἰ᾽ ἅπερ εἰσῆξε δόγματα.*

de rerum origine disserens autumat non suum hunc sermonem esse sed matris praecepta, [1]) quorum verborum verum sensum iam Diodorus intellexit. [2]) Quam brevissime potero necessitudinem inter quasdam sententias Euripideas et Anaxagorae dogmata demonstrare conabor.

Philosophus ille statuit [3]) homines animaliaque omnia maribus originem suam debere, quum feminae tantum receptacula essent, in quibus foetus deponeretur et aleretur. Aether ergo et Terra, quae creationis duo principia sunt, connubio quodam coniunguntur, quare Aetherem deorum hominumque genitorem Euripides vocat, Terram autem coelestibus imbribus imbutam, omnium rerum matrem. [4]) Qua eadem doctrina, ut matricidium excuset, utitur Orestes seque patris ultorem profitetur: „hic enim" ait „me genuit, mater autem me peperit, tamquam ager semen ab alio accipiens; sine patre filius numquam nasci potest". [5]) Quam eandem ob causam nescio quis filius in fabulae incertae quodam fragmento se maiorem reverentiam et pietatem patri quam matri debere affirmat. [6]) Si forte quis obiciat praeter Euripidem alios quoque, qui Anaxagorae auditores non fuerint, saepius tamen matrem *agrum* [7]) vel *paternum sulcum* [8]) appellasse, is velim, reputato huiuscemodi vocabula nihil

---

[1]) Eur. fragm. 488. — [2]) Diod. Sic. I, 11.
[3]) Aristot. de Anim. gen. IV, 1. — [4]) Eur. fragm. 836.
[5]) Or. 552. — [6]) Eur. fragm. 1048. — [7]) Sept. 754, O. C. 1257, 1485.
[8]) O. R. 1211. Ant. 569.

continere nisi metaphoras e re ipsa ita profluentes ut apud omnes omnium aetatum populos recurrant, Euripidem vero solum docere hanc ob rem matrem patri postponendam esse.

Nullam rem interire posse sed omnia eo reditura esse unde orta sint Anaxagoras iam docuerat: [1]) corpus igitur nostrum terreno principio oriundum in terram, animam ex aethere natam in aetherem reversuram esse. Eadem docent cum extremi versus fragmenti supra laudati [2]) tum quae in Orestae loco depravato [3]) leguntur, tum quae alibi [4]) huius rei exempla exstant. Qua cum sententia Anaxagorea illa [5]) de animorum immortalitate cohaeret: mortem separationem aëreae animae et terreni corporis esse. Similiter apud Euripidem legimus animam (*νοῦν*), postquam in immortalem aetherem resoluta sit, non ut ante vivere, sensum (*γνώμην*) tamen immortalem servare. [6]) Saepius vero Euripides propter alterius vitae ignorantiam huius vitae tenaces homines esse docet. [7]) Etsi Homerus heroes suos in Orcum descendentes tristi umbrarum sorti obviam euntes facit, apud Euripidem

---

[1]) Plut. de placit. phil. pag. 855, D. — [2]) Eur. fragm. 836.
[3]) Eur. fragm. 836.
[4]) Or. 1086 ubi Weilii lectionem sequentes legimus:
μὴ σῶμά μου δέξαιτο κάρπιμον πέδον
μὴ λαμπρὸς αἰθὴρ πνεῦμα κτλ.
[5]) Eur. Suppl. 532. sqq.
[6]) Cf. Wyttenbachii *Disput. de immort. animi*, Opusc. II, pag. 526, sqq. Arist. de anim. I, 2. § 9 sq., Plut. plac. phil. pag. 898. D. 910 A.
[7]) Hipp. 194, Eur. fragm. 813 vs. 9 sqq. cf. fragm. 830.

tamen etiam heroum nutrices „tales nugas" denegant, fabulis se temere duci profitentes.[1])

Postquam Herodotus Thucydidesque in historia conscribenda arti criticae viam patefecerant, fabulas a veritate secernentes, Euripides eorum aequalis eandem viam, quantumvis alienam a vera poesi, ingressus est. Cuius rei exemplum esto Helena, quae in cognomini fabula miraculorum plena, originem suam ex ovo, quod Leda pepererit, narrans cautius addit: si vera saltem est haec narratio.[2]) De eadem re mulierculae ad telam disserentes, non credunt Ledam Helenam cygno peperisse, sed a fictis poematis tales fabulas originem ducere existimant.[3]) Mercurius in Ione fabula[4]) Erechtheum *terrigenam* vocat; Xuthus tamen, vel potius poeta, critici partes agens, solum liberos gignere negat.[5]) Eo usque ingenio suo indulget Euripides ut in Bacchis[6]) Tiresias, etymologiae magistellus factus, fabulam de Baccho, in Iovis femore incluso, e verborum lusu ortam esse contendat: „Iupiter" enim inquit „abrupta parte quadam aetheris hunc transformavit in Bacchum, quem post rixas obsidem (ὅμηρον) tradidit Iunoni; postea vero ipsum in Iovis femore (μηρῷ) enutritum homines, fabula ficta, dixerunt. Cunctae fere Euripidis tragoediae omnia, quae-

---

[1]) Hipp. 199. — [2]) Hel. 21. — [3]) I. A. 795. — [4]) Ion. 20.
[5]) id. 542. — [6]) Bacch. 292.

cumque *ἐν πολιαῖσι φάμαις* feruntur, in dubium vocandi studium spirant; fabulas enimvero in scenam producit, sed ita tractat Euripides ut, quod de sole, cursum suum mutanti, dicit,[1]) in quavis Euripidea fabula valeat,

λέγεται, τὰν δὲ πίστιν
σμικρὰν παρ' ἔμοιγ' ἔχει.

Euripides magistrum, qui deum unum, purum, aeternum esse statuerat, secutus vana esse credit, quaecumque poetae de diis commenti sint.[2]) Quid vero de summi dei natura statuendum sit, utrum sit naturae necessitas (*ἀνάγκη φύσεως*) an hominum mens (*νοῦς βροτῶν*) ipse dubitat.[3]) Plerumque quid revera de summo deo opinetur de industria premit silentio; Iovem enim vel divinum numen saepius affatur hisce non ita verecundis verbis additis „quicumque tandem es".[4]) Quae verba prorsus inepta sunt quum Hercules de Iove querens exclamat:[5]) „Iupiter, quicumque est ille Iupiter, me genuit", aut quum idem Hercules, licet ipse spurius Iove natus sit, affirmat[6]) se non adduci posse ut credat deos illegitima probare connubia. Menalippe quoque, in cognominis fabulae initio, dubitationis suae causam affert: „Iovem enim" inquit „tantum fando audivi".[7]) Quam multum hac quoque in re inter se distent Homeri ingenui heroes et tragi-

---

[1]) El. 705. — [2]) Herc. Fur. 1346 cf. 1315 sq. — [3]) Troad. 885.
[4]) Bacch. 894, Or. 418, Troad. 885, I. A. 1033.— [5]) Herc. Fur. 1263.
[6]) id. 1341 cf. Ion. 442. —[7]) Eur. fragm. 483. cf. Plut. Mor. pag. 756, c.

corum personae nobis denique exemplum est Bellerophontes, qui apud Homerum quidem, *θεῶν τεράεσσι πιθήσας*, tot splendida facta praestitit, apud Euripidem vero quae olim crediderat hisce verbis infitias it: [1]) „numquis putat deos in coelo esse? non sunt, non sunt nisi si quis stultus obsoletis fabulis confidat, sed videte ipsi, ne meis verbis freti iudicaveritis"!

Falsa igitur est opinio deos rebus humanis providere, [2]) nam fortuna omnia mortalia gubernat. [3]) Secundum fabulas dii, sanctitate carentes, iustitia homines non superant [4]) et turpia [5]) et stulta committunt ut Apollo, qui sicut malus homo, vetera iurgia recordatus, sapientiae gloria indignus est, [6]) saepe enim stulta consulentibus suadet, [7]) saepe inepta eius oraculum vaticinatur. [8])

Ut singulis heroibus peculiarem indolem, ab Homero traditam, servarent tragici minime curabant. Theseum, qui apud Homerum non nisi duobus locis subditiciis [9]) invenitur, philosophantem, liberae civitatis praesidem, *συνοικισμοῦ* conditorem omittamus, sed dolemus quod fortis Menelaus in pravissimum tyrannum, ignavum et crudelem, quod multa perpessus Ulixes in dolosum rabulam et demagogum abierit.

———

[1]) Eur. fragm. 288. — [2]) Or. 1179. — [3]) Hec. 488 sqq.
[4]) Eur. Suppl. 310 sqq., Herc. Fur. 347. — [5]) Eur. fragm. 294 vs 7.
[6]) Andr. 1161 sqq. — [7]) El. 1246. — [8]) id. 971.
[9]) Il. I, 265, Od. XI, 635.

Helena porro tragica non est Veneris victima, quam poenitentia et pudor vexant, sed adultera, quae etiam veterascens artes suas non dedidicit. [1]) Orestes autem, cuius matricidium ne Agamemnon quidem redivivus probare potuisset, [2]) quamvis deus ipse eum ad facinus perpetrandum excitaverit, angore conscientiae alucinationibusque cruciatur.

Non tantum paucorum heroum indoles atque natura aliter atque antiquissimae traditiones finxerant a tragicis repraesentantur, sed omnes tragicae personae, prisci aevi ingenio carentes, recentiorum hominum facta et verba, virtutes et vitia adaequare solent. Fortitudinem enim, quae apud Homerum animis insita atque innata videtur, disci et doceri posse Adrastus Euripideus affirmat. [3]) Heroes illi qui toties genere gloriantur, longam maiorum seriem iactantes, non facile cum Hecuba Euripidea [4]) fecissent educationem nobilibus parentibus praestare praedicante, nec Agamemnoni [5]) adstipulati essent, qui senem servitorem laudat et fortunatum esse dicit quod inglorius sit et ignobilis. Habendi cupiditatis heroes Homericos, velut pueros, non pudet, numquam non inhiantes divitiis opibusque, quas vanas esse, parum stabiles, tragici heroes didicerunt. [6]) Hanc ob rem modestiam et mediocritatem summum locum tenere Medeae nutrix, multis aliis tragicis

---

[1]) Or. 128 sqq. cf. id. 1012, 1113, Troad. 1107 et passim.
[2]) Or. 288. — [3]) Eur. Suppl. 913. — [4]) Hec. 599. — [5]) I. A. 17.
[6]) Eur. El. 941 sqq.

personis adstipulantibus, profitetur. [1]) Etiam inter labores et dolores heroes homerici vitae voluptatibus et gaudiis fruuntur, tragici contra rerum humanarum conditionem aegre ferentes saepius queruntur de infelici mortalium sorte et de fortunae inconstantia. [2]) Animi perturbationibus simplices apud Homerum heroes non temperantes, ira incensi vel calamitate afflicti, lacrimas non retinent. Agamemnonem autem Euripideum lacrimas profundere pudet ne mollis videatur; [3]) Menelaus quoque memor fortasse proverbii *αἰεὶ δ' ἀριδάκρυες ἀνέρες ἐσθλοί* [4]) „*aiunt* quidem" inquit „decere fortem virum in rebus adversis lacrimis indulgere, [5]) sed ad muliebrem morem se convertere non vult. [6]) Dolorem igitur virtute superare, etiam in maximo luctu, heroes Euripidei philosophantes, exemplo ab Anaxagora sumpto, didicerunt. Magistri enim laudes, aequo animo unici filii immaturam mortem ferentis, etiam in fabulis suis Euripides celebravit. [7])

---

[1]) Med. 122 sqq.

[2]) Multos huius modi locos collegit v. cl. Herwerdenus cum ad Ion. 381 et 969, in editione sua, tum ad O. R. 977, quibus addere possis, si tanti est, Herc. Fur. 101 sqq. — [3]) I. A. 448.

[4]) Hoc proverbium incertae originis affertur a Zenob. I, 14 et a Schol. ad Il. XIX, 5, his verbis praemissis: *πάντας τοὺς ἥρωας ἁπλότητος χάριν ἄγει, Ἀγαμέμνονα, Πάτροκλον, Ὀδυσσέα, ἐφ' οὗ καὶ τὴν παραβολὴν τῆς χήρας ἔλαβεν;* quae ultima verba explicanda sunt ex Od. VIII, 523. — [5]) Hel. 950. — [6]) id. 991, cf. Med. 928. —

[7]) Alc. 903, cf. Cic. Tusc. Quaest. III, 14, ubi similis sententia ab Euripide in persona Thesei relata invenitur.

Quam vero prorsus mutatam feminarum conditionem tragicorum aetate videmus! Virgines et matronas, quales Nausicaa et Arete apud Homerum, tam dignitate quam libertate fruentes, frustra in tragoediis quaerimus. In gynaeceis inclusae et custoditae [1]) domi manere solent easque in vulgus prodire dedecet. [2]) Mulieres viros ne adspiciant more vetitum est; [3]) etiam in summo periculo virginem viri, qui forsitan salutem afferre ei possit, genua amplecti parum decet. [4]) Nullo fere numero sunt mulierculae, quibus „silentium decus est", quo „dicto decantato" maritum se ad silentium compulisse Tecmessa Sophoclea queritur. [5]) Macaria vero Euripidea eandem sententiam „mulieres silentium decere" ultro profitetur. [6]) Liberius tamen loqui licet feminis dotatis. [7]) Virgines enim in tragoediis non amplius *ἀλφεσίβοιαι* sunt, sed, ut apud recentiores, *φερνήν* [8]) afferunt, et uxores, dote fretae, saepius maritorum dominae factae, [9]) quominus mariti divortium cum sibi faciant impediunt. [10]) Quod Euripides feminas toties reprehendit multasque pravas repraesentat ad sui temporis mores respiciens id facit. Non enim odit genus ipsum, non est *μισόγυνος*, quod ex multis locis, ubi de feminarum natura

---

[1]) Phoen. 89, I. A. 738.

[2]) Phoen. 1275, 1636, 1740, Or. 108, Andr. 876, Heracl. 477 Ant. 578, Trach. 542. — [3]) Hec. 974. — [4]) I. A. 994. — [5]) Ai. 293

[6]) Eur. Heracl. 476. — [7]) Andr. 153.

[8]) I. A. 47, 611, 637, 728, Ion. 298, Or. 1662, Aesch. Suppl. 336, 979, 957. Med. 231. — [9]) Eur. fragm. 772. — [10]) Eur. fragm. 504.

digniorem sententiam fert, satis clare apparet, sed earum, quae tum Athenis vivebant, mores plerumque corruptissimi eius indignationem moverant.

Non tantum quaecumque dicunt Euripideae personae sed etiam disputandi modus parum cum prisca illa facundia congruit. Nec mirum! Euripides enim fabulas conscripsit civibus suis, qui, cum comitia et iudicia tum rhetorum et sophistarum scholas frequentare soliti, etiam in pulpito eloquentiam magni aestimabant et admirabantur. Hinc intelligi possunt illae digressiones, saepe prorsus a fabulae argumento alienae, illi dialogi disceptationibus forensibus consimiles, illa tortuosa philosophemata quae Euripides, ipse Prodici et Protagorae, clarorum sophistarum, auditor in nulla non tragoedia, dramatis personarum, sive reges sive servi sunt, orationi immixuit. Protagoram primum elocutum esse *περὶ παντὸς πράγματος δύο λόγους εἶναι ἀντικειμένους ἀλλήλοις* Diogenes Laertes [1]) auctor est, quam sententiam suam facit Euripides, sub Amphionis persona affirmans: [2])

ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων
ἀγῶνα θεῖτ᾽ ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός.

Qua dicendi ratione in tragoediis suis uberius usus est Euripides, cuius in fabulis personae disceptationes venantes, argutiis gaudentes quamvis rem modo defendunt,

---

[1]) Diog. Laert. IX, 51. —) Eur. fragm. 189.

modo vehementius insectantur." Disserendi ars, si Hecubam in fabula cognomini audimus, prae ceteris excolitur ut discat aliis persuadere et simul consequi quae quis vellit." [1]) Attamen ne sophistarum nimia auctoritas nec prava interdum eloquentia civium mores corrumpant saepius monet poeta: iniusta enim causa (*ὁ ἄδικος λόγος*) ea est, quae sophistarum medicamentis eget [2]) neque pulchre dicere convenit in rebus non honestis; quisquis enim improbus est sed callidum in dicendo se praestat gravis poenae obnoxius est. [4])

Iam ad finem pervenit nostra disquisitio cuius summa haec est. Aeschylus, ipse fortis bellator, antiquos deos colens, quamquam in rebus minoris momenti ab Homeri aetate abhorret, tragoedias conscripsit revera heroicum ingenium spirantes. Similiter Sophocles, plerumque heroum dignitate servata, in levioribus tantum saeculi sui mores et consuetudines expressit. Euripides contra in omnibus partibus ab antiquitate abhorrens, eruditis pro bellatoribus, philosophis pro heroibus in scenam introductis, recentiorum hominum vitae effigiem adumbravit.

Quaerendum tandem mihi visum est num tot anachronismi,

---

[1]) Hec. 815. — [2]) Phoen. 471. [3]) id. 526, cf. fragm. 255.
[4]) Med. 580.

quot ostendere conatus sum, tragicorum fabulas maculaverint. Subridemus enim quotiescumque in hodiernis dramatis historicis non tantum in personarum verbis sed etiam in scenae parietum pictura vel in histrionum ornatu aliquid observamus, quod cum fabulae argumenti tempore discrepare videatur.

Magnum tamen quod intercedit discrimen inter doctrinam illorum veterum scriptorum et nostrorum hominum praeterire non oportet. Aliud illi moliebantur, aliud hodierni sibi proponunt; ad historiae enim fidem scripta dramata subtilis artium iudex poscit, et non nisi historia accurate perquisita et cognita auctor opus suum aggreditur. Itaque quod attinet ad tragicos Graecos, hac in re toties conniveamus quoties temporum confusio operi non nocet. Ubi tamen, ut saepius apud Euripidem, digressiones istae prorsus a fabulae argumento alienae occurrunt ut tempora sua honoret, auditorumque animos tali auxilio sibi devinciat poeta, ubi volens et sciens divino spiritu inflatus, utilia venustis praeponens, cedit philosopho frigida argumentatione disputanti, tum haec minus probantes tragicam artem imminutam ad comicam musam accedere existimamus.

Sed ne putes, lector benevole, me, velut alterum Homeromastiga, in levioribus divinos poetas castigare voluisse, obtrectationis tantum gratia, libenter in libelli mei fine confiteor tragicos Graecos non omnibus qui-

dem sed multis in partibus recentiorum poetarum magistros non solum fuisse sed etiam semper mansuros esse.

Scientes enim ne solem quidem maculis carere num ideo minus apricabimur?

THESES.



I.

Soph. Oed. Col. 1121 sqq.

ἐπίσταμαι γὰρ τήνδε τὴν ἐς τάσδε μοι
τέρψιν παρ' ἄλλου μηδενὸς πεφασμένην
[σὺ γάρ νιν ἐξέσωσας, οὐκ ἄλλος βροτῶν]
. . . .

1129. ἔχω γὰρ ἄχω διὰ σὲ κοὐκ ἄλλον βροτῶν.

Versus supervacuus deleatur.

II.

Soph. Trach. 434 sq.

ἅνθρωπος, ὦ δέσποιν', ἀποστήτω· τὸ γὰρ
ν ο σ ο ῦ ν τ ι λ η ρ ε ῖ ν ἀνδρὸς οὐχὶ σώφρονος.

Verba fortasse sana erunt si legitur:

. . . . τὸ γὰρ
λ η ρ ε ῖ ν ν ο σ ο ῦ ν τ ο ς ἀνδρὸς οὐχὶ σώφρονος

III.

Eur. Hec. 458 sqq.

ἔνθα πρωτόγονός τε φοῖνιξ
δάφνα θ' ἱεροὺς ἀνέσχε
πτόρθους Λατοῖ φίλᾳ
ὠδῖνος ἄγαλμα Δίας.

Pro φίλᾳ lege φίλα.

IV.

Eur. Hec. 846 sqq.

δεινόν γε, θνητοῖς ὡς ἅπαντα συμπίτνει,
καὶ τὰς ἀνάγκας οἱ νόμοι διώρισαν,
φίλους τιθέντες τούς τε πολεμιωτάτους,
ἐχθρούς τε τοὺς πρὶν εὐμενεῖς ποιούμενοι.

πόνοι magis quam νόμοι cum loci sententia congruit.

V.

Thuc. II, 84. 2.

Καὶ τὴν ἐπιχείρησιν ἐφ' ἑαυτῷ τε ἐνόμιζεν εἶναι, [ὁπόταν βούληται].

Glossema delevi.

VI.

Herodt. I. 117.

ὦ βασιλεῦ, ἐπείτε παρέλαβον τὸ παιδίον, ἐβούλευον σκοπέων ὅκως σοί τε ποιήσω κατὰ νόον καὶ ἐγὼ πρὸς σὲ γινόμενος ἀναμάρτητος μήτε θυγατρὶ τῇ σῇ μήτε αὐτῷ σοὶ εἴην αὐθέντης.

Pro αὐτῷ σοί lege: ἐμεωυτῷ.

VII.

Xenoph. Anab. I, 7. 18.

Κῦρος Σιλανὸν καλέσας τὸν Ἀμβρακιώτην μάντιν ἔδωκεν αὐτῷ δαρεικοὺς τρισχιλίους, ὅτι θ υ ό μ ε ν ο ς εἶπεν κτλ.

Lege: *θ υ ο μ έ ν ῳ.*

VIII.

Id. I. 8. 14.

τὸ δ' Ἑλληνικὸν ἔτι ἐν ταὐτῷ μένον συνετάττετο ἐκ τῶν ἔ τ ι προσιόντων.

Pro *ἔ τ ι* lege: *ἀ ε ί.*

IX.

Id. Hell. V, 1. 36.

ἐκ τῆς ἐ π' Ἀνταλκίδου εἰρήνης καλουμένης.

Delendum *καλουμένης* aut, quod malim, *ἐ π'* in *ἀ π'* mutandum est.

X.

Id. V, 3. 17.

ὁπότε γὰρ ἐξίοιεν ἢ διὰ φιλίαν ἢ διὰ συγγένειαν τῶν φυγάδων ἐδίδασκε συσσίτιά τε αὐτῶν κατασκευάζειν καὶ εἰς τἀπιτήδεια ἱκανὸν διδόναι, ὁπόσοι γυμνάζεσθαι ἐθέλοιεν· καὶ ὅπλα δ' ἐκπορίζειν ἅπασι τούτοις ἐκέλευεν.

Lege:

εἰς τἀπιτήδεια ἱκανὸν διδόναι· ὁπόσοι δ ὲ γυμνάζεσθαι ἐθέλοιεν καὶ ὅπλα ἐκπορίζειν ἅπασι τούτοις ἐκέλευεν.

XI.

Il. IV, 242, XIV, 479.

Vox ἰόμωρος, quum vocis etymologia sensusque contextus vaniloqui iactatoris significationem postulet, vulgo perverse vertitur: qui sagittis pugnat.

XII.

Hor. Carm. I, 12, 36.

Romulum post hos prius an quietem
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquinii fasces dubito an Catonis
Nobile letum.

Non letum sed lustrum poetam scripsisse, Catonem Censorem respicientem, conicio.

XIII.

Iuv. III, 215 sqq.

Ardet adhuc, et iam accurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas; hic nuda et candida signa,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti.

Legatur:

. . . . qui munera donet,
Conferat impensas; hic aera et candida signa, cet.

XIV.

Plaut. Trin. 259.

Quamquam illud est dulce, esse et bibere, amor amari
[dat tamen
Satis quod sit aegre.

Lege: amare amari, cet.

XV.

Cic. Verr. IV. 4. 7.

Verres quod ubique erit pulcherrimum auferet? nihil habere cuiquam praeterea licebit?

Lege: praeter eum.

XVI.

Id. 16. 36.

Domus plena signorum pulcherrimorum [iam ante praeturam].

Delenda sunt quae uncinis inclusi.

XVII.

Caes. Bell. Gall. I. 31.

Locutus est Divitiacus Aeduus. . . . . Ariovistum autem hominem esse barbarum, iracundum, temerarium, non posse *se* eius imperia diutius sustinere.

Inserui *se*.

XVIII.

Göttling (*Staatsverf.* pag. 340) existimans a censoribus provocationem ad populum fuisse errat.

XIX.

Gellius, XIV, 7, Varronis verba laudans scripsit: „Primum ibi ponit qui fuerint, per quos more maiorum senatus haberi soleret, eosque nominat: dictatores, consules, praetores, tribunos plebi, interregem praefectum urbi: neque alii praeter hos ius fuisse dixit facere senatus consultum."

Iniuria omisit: magistros equitum.

XX.

Xenophon schreef partijdige, onvolledige annalen geen geschiedenis.

XXI.

De overlevering stelt keizer Titus beter voor dan hij in waarheid geweest is.

Het is niet onwaarschijnlijk dat bij de Christenen de oorzaak van die voorstelling moet gezocht worden.

XXII.

Eigenbelang, meer dan geloofsijver, drong Gustaaf Adolf om deel te nemen aan den dertigjarigen oorlog.

XXIII.

Geen van de vele argumenten, waarmede men de bewering, dat aan de Staten-Generaal de souvereiniteit over de zeven gewesten competeerde, heeft trachten te staven, blijkt geldig te zijn.

XXIV.

Het restaureeren — niet het onderhouden — van historische monumenten is af te keuren.

XXV.

Het schoone in de beeldende kunsten wordt uitsluitend door vorm en kleur bepaald.

XXVI.

Het ware zeer te wenschen dat aan de lagere classen der Gymnasia meer, aan de hoogere minder lesuren gegeven werden dan volgens het leerplan bepaald is.



INDEX.

PA
3131
S77

Stricker, Johannes Andreas
De tragicorum anachronismis

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY